DE PRAEPOSITIONE *AD* CASVALI

IN LATINITATE

AEVI MEROVINGICI

DE PRAEPOSITIONE *AD* CASVALI

IN LATINITATE

AEVI MEROVINGICI

THESIN

FACVLTATI LITTERARVM PARISIENSI

PROPONEBAT

EDVARDVS BOVRCIEZ

SCHOLAE NORMALIS EX ALVMNO

IN FACVLTATE LITTERARVM BVRDEGALENSI DOCENS

PARISIIS

APVD C. KLINCKSIECK BIBLIOPOLAM

11 — Rue de Lille — 11

BVRDEGALAE

EX TYPIS VIDVAE CADORET

17 — Rue Montméjan — 17

—

MDCCCLXXXVI

PROOEMIVM

Syntaxeos merovingicae caput quantulumcumque scribendum adgredior. Nec me fallit quam ardua res sit ac prope periculosa : nempe sanae et perfectae linguae varios usus notare, formulas distinctionibus inter se minutissimis discriminatas explicare non nisi magno labore possis. Quid si sermonem agrestem et barbarum, latinitatem apud nonnullos auctores cincinnis fucatam, apud plerosque pravo vocabulorum usu et vitiata construendi ratione deliquescentem explanare volueris? Quid si non cohaerentia iam aptaque inter se iungere membra, sed materiam laxam et fluitantem ita coercere, ut ad amussim redigatur, enixus fueris?

Rem profecto Federicus Diez in *Grammatica Linguarum Romanicarum* (1) egregio haustu praelibavit et operis incohavit plus quam lineamenta : quippe qui, ut hic ad verborum structuram tantum spectemus, usitatiores apud nos dicendi formulas e latino quidem sermone ductas esse, sed intercidente infimae cuiusdam et corruptae latinitatis usu, aptis et idoneis non semel exemplis commonstravit. Cum autem clarissimo illi philologo destinatum esset potius cognationem quandam linguarum neo-latinarum ut ex uno fonte ortarum notare quam inquirere quatenus inter se discreparent, fit ut indiscrete saepius ducta e merovingico Galliae sermone exempla admiscuerit latinitati iisdem fere saeculis tum in Italia tum apud Hispanos florenti, et aedificium mirabili sane rerum scientia, sed aliqua tamen parte claudicans, utpote tot diversa membra complectens, ad unius regulae mensuram exstruxerit et concinnaverit.

(1) Fr. Diez, *Grammatik der romanischen Sprachen*, 5 Ausg. Bonn, 1882 (in einem Bande).

Adde quod ea ratione Diez haec omnia tractavit ut argumento sibi proposito tanquam praeluderet : idcirco praemonitoriam, ut ita dicam, facem tantummodo praetulit viam ingredientibus, et nisi integram multis tamen distinctionibus illustrandam materiam permisit.

Non ergo mirum videbitur si tantae tamque latae provinciae mihi nunc hodie partem vel minimam adrogem. Nempe de usu unius tantum particulae, scilicet praepositionis *ad* casualis in latinitate aevi merovingici sum disputaturus. Nec tamen inutilem prorsus me laborem suscepisse puto, cum nisi singulis rebus accurate perspectis ad plenam cuiuslibet sermonis cognitionem perveniri non posse apertum sit, cum elegerim amplius particulam maximae utilitatis in constructione verborum : quippe quae non solum casus latini cuiusdam, id est dativi, paulatim ingruente barbaria obsolescentis vices praecipuas obtineat, sed prioribus etiam permixtis sensibus ad novos inserviat, et per se syntaxeos rationem valde diversam profiteatur.

Ne speret autem aliquis se commentationem eiusmodi ad finem perducturum, nisi principia a bonae latinitatis consuetudine ceperit, et ad usum ferme Ciceronianum quasi ad legitimam mensuram barbaras temporum merovingicorum formulas retulerit. Sic enim plane patebit qui praepositionis sensus propemodum adservati sint qui vero disperierint; sic, quam vim translationis genuinam retinuerit, quae contra paulatim obliterata usuum discrimina amiserit. Itaque materiam e longinquo repetendam curavi, scilicet adponendo ceteris exempla ab auctoribus aureae latinatis ducta, non adeo copiosa, sed ut finiantur tamen praecipui apud Romanos praepositionis *ad* sensus. Ceterum lectorem ad philologos saepe referam qui iamdudum rem aptissime tractaverunt, quibusque mihi velut ducibus uti datum est : inter quos adnumerari possint Tursellinus, cuius *Polyonymiam de particulis latinae locutionis* nostro saeculo Hand tanta cura emendavit, et recentiores grammatici Madvig (1) atque Kühner (2). Non possum autem quin peculiarem faciam men-

---

(1) *Grammaire Latine* du D[r] J. R. Madvig, trad. par N. Theil, 3[e] éd., Paris, 1881.

(2) R. Kühner, *Ausfuhrliche Grammatik der lateinischen Sprache*, Hannover, 1877-79, 2 Bde.

tionem de A. Draeger, qui novissimus *Historicam Latini Sermonis Syntaxin* (1) ordine quam exquisitissimo digessit et absolvit.

Ceteroqui corruptam, ut dixi, latinitatem adtingere et quam plurimis praesertim in Gallia Merovingica exemplis illustrare mihi destinatum est. Ut vero plenius pateat qualis illa fuerit apud nos, satis ampla praeponam specimina deprompta e Patribus ecclesiasticis qui in Gallia ex Ausonianis temporibus usque ad Avitum intra duo saecula floruerunt. Quorum in scriptis non me fugit novos plerumque usus novasque verborum constructiones haud merito ad vulgarem quendam gliscentem sermonem posse referri, sed potius ad communem et item usurpatum ab auctoribus horum saeculorum ecclesiasticis usum, quemque reperias prope eundem tum in Augustinianis, tum in Hieronymianis operibus (2). Attamen nulla e bona ad infimam latinitatem transeundi ratio aptior visa est vel materiae nostrae accommodatior : concedendum est nimirum apud dictos scriptores genuina tabescentis iamdudum in Gallia latinitatis indicia non semel detegi posse, cum ipsos interdum barbarismorum reos confitentes habeamus (3).

Si ire porre pergas latinitatem merovingicam intra sextum, septimum et octavum saeculum spatio temporis inclusam esse dicam quod a Chlodovecho extenditur usque ad Karolum Magnum. Nec est hic locus disserendi de merovingicae linguae fontibus, cum rem tam exiguam ad praesens absolvere in hoc opusculo tentem, scilicet unius particulae usus illustrare. Veruntamen quaestio ad hanc usque diem universim saepe mihi videtur vel ad historica potius

---

(1) A. Draeger, *Historische Syntax der lateinischen Sprache*, Leipzig, 1878-81, 2 Bde in 2.

(2) Ad noscendam ecclesiasticam latinitatem neminem prorsus fugit quanti sit pretii liber quem tanta rerum scientia paucis abhinc annis condidit H. Roensch, *Itala und Vulgata, das Sprachidiom der urchristlichen Itala und der katolischen Vulgata unter Berücksichtigung der römischen Volkssprache durch Beispiele erläutert*, Marburg, 1875.

(3) « Cum rumor ex vobis susurriat, quod in homilia, quam nuper ad populum Lugdunensem in dedicatione basilicae videor concionatus, barbarismum me incurrisse dicatis, palam scilicet castigantes, quod in publica oratione peccaverim : fateor istud potuisse contingere, praesertim mihi, cui, si qua in annis viridioribus fuerunt studia litterarum, omnia fert aetas. » (Avitus, *epist.* 57, p. 85.)

studia quam ad grammaticas artes tractata : si non integram ergo, eam obiter saltem adtingam et quatenus cum proposito congruere duxerim, ne imperfectae disputandi rationis reus agar.

Adgredienti autem partitiones facere non nimium articulosas, scripta quae ad aetatem merovingicam adtinent intra duas praecipue classes bipartiri posse videntur : quarum includet prior tum notissimos auctores Gregorium Turonensem, Venantium Fortunatum, Fredegarium, tum Vitas Sanctorum a variis auctoribus et plerisque anonymis scriptas, immo Conciliorum Gallicorum canones et prope omnia quae spectant ad res ecclesiasticas instrumenta, utpote quae nisi sincerum et integrum latinitatis florem, politioris tamen locutionis, ingruente et diffusa undique barbaria, umbram retineant. Atqui his proponendis auctoribus discretio quaedam adhiberi possit, cum satis inter se discrepent, cum Gregorius Turonensis, ne alios adtingam, stili agrestis ac subrustici sibi sit ipse non semel conscius, fateaturque inter cetera loquendi vitia se « praepositiones loco debito plerumque non locare (1) », et vix episcopus rudis cum aequali conferri debeat Venantio Fortunato, italo quidem genere et aulico inprimis poeta, qui sententiolis argutis flores ex latino penu depromptos adnectere saltem et, irrepente nova construendi ratione, verba semper ad elegantiam legitimae periodi redigere nimia subtilitate est enixus (2). Sed pereunt partim

---

(1) « Sed timeo, ne, cum scribere coepero, quia sum sine litteris rethoricis et arte grammatica, dicaturque mihi a litteratis : « O rustice et idiota, ut quid nomen tuum inter scriptores indi aestimas? Ut opus hoc a peritis accipi putas, cui ingenium artis non subpeditat, nec ulla litterarum scientia subministrat? Qui nullum argumentum utile in litteris habes, qui nomina discernere nescis; saepius pro masculinis feminea, pro femineis neutra et pro neutra masculina conmutas; qui ipsas quoque praepositiones, quas nobilium dictatorum observari sanxit auctoritas, loco debito plerumque non locas. Nam ablativis accusativa et rursum accusativis ablativa praeponis. » (*Gloria Confessorum,* prol.) Alias idem : « Vereor, ne nimium progredi praesumens, obsoletet paginam sermo rustitior. » (*De Virtutibus S. Martini,* 2, 3.) Cf. insuper prologum *Historiae Francorum.*

(2) Venantius Fortunatus se aliquando excusat, quod verbis barbaris utatur. « Die uno quo se ornabat felix regina, composito sermone ut loquar barbaro, stapionem, camisas, manicas, cofeas, fibulas, cuncta auro, quaedam gemmis exornata, per circulum sibi profutura, sancto tradit altari. » (*Vita S. Radegundis,* cap. 13.)

discrimina, si minus ad continuum stili tenorem quam ad usum unius particulae adtenderis.

Altera nimirum classe comprehendam cetera monumenta, quae corruptissimae in Gallia latinitatis indicia et indelebilem barbariae notam exhibeant, quae quo vitiosiora eo maioris ad propositam rem constent pretii, scilicet Inscriptiones Christianas, Leges Barbarorum latine translatas, Diplomata et Capitularia tum Regum Francorum e prima stirpe tum Maiorum Domus, Chartas denique et Formulas quae ad privatorum res adtinent, et quae rarae admodum in sexto, multo minus in septimo vel octavo saeculo desiderantur. In his profecto omnibus instrumentis non tantum litterae ac terminationes verborum mutantur, sed deturbatur quoque syntaxis et constructiones indiscreta confusione laborant, ita tamen ut nescio quid novum illucescat et inter latini sermonis rudera ingenium quoque linguae detegatur succrescentis. Hic autem opus erit ratione apta signare quaecumque apud Merovingicos scriptores velut usus Latinorum classici productio quasi emortua haberi debeat, opus erit quatenus licet ea segregare a sensibus qui in vulgari et cotidiano sermone praevaluerunt ac deinde ordinandae Gallicae syntaxi accommodati sunt.

Hic est enim disceptationis nostrae rationaliter exitus, haec quoque legitima meta, ut a saeculis Ciceronianis profecti, ad informationem usque romanicae linguae nostrae accedamus. Cuius vero linguae cum antiquissima monumenta, exceptis Argentorati Sacramentis, decimo tantum saeculo adsignari possint, interdum erunt exhibenda nobis post usus aevi Merovingici specimina quaedam latinitatis quae Karolina adpellatur, ne videatur interrupta saeculorum series. Rem tamen non sine delectu faciam, cum neminem fugiat quantuli sint plerumque pretii Karolina instrumenta ad dinoscendum vulgarem usum unde orta sit Gallica lingua : in quibus profecto nihil saepius est reperire nisi formulas aevo iam praecedente usurpatas vel sermonem resartum et latino colore plus minus illitum. Post Karolum Magnum, nono saeculo fit maius in dies divortium inter usus plebis et eruditorum, increscit notha haec Medii Aevi latinitas, quam vulgaris linguae adeo non genetricem esse dicam ut vulgaria contra in sinum vocabula latino exitu induta iam recipere videatur.

Cum tamen hoc aevo non alii textus occurrant, cum ex altera

parte sperari possit in auctorum opera vel instrumenta scribarum irrepsisse aliquando sensus qui modo quolibet cotidiani sermonis vel repercussam imaginem exhibeant, exempla, ut dixi, quaedam depromam e Capitularibus Karoli Magni, Hludowici Pii, Karoli II. Immo in Vita Karoli Magni ab Eginhardo scripta, in historiis Nithardi, in Annalibus Rerum Francicarum occurrere nobis aliqua visa sunt digna quae suo loco proponerentur. Sic deficientibus certis documentis, rimae aliquatenus expleri videbuntur, si ad seriem annorum adtendas : ne obliviscaris vero Merovingici ipsius aevi latinitatem, utpote usui vulgari cohaerentem et immixtam, multo plerumque sensibus propiorem, quos deinceps particula declaravit in Gallica lingua.

Quod si e variis documentis ea cura examinatis exempla satis ampla duxerim, spero futurum ut usus praepositionis *ad* in infima latinitate ad liquidum perducantur, et fiat etiam ad eiusdem usuum originem in sermone nostro illustrandam non irritus labor. Ceterum cum maxima parte ex propositis et ordine digestis exemplis constare tantum possit hoc opusculum, operae pretium erit si omnium auctorum, exceptis tamen Latinis et Gallicis scriptoribus, nec non adhibitarum editionum index integer subiacuerit. Indicabo quoque sigla quibus ad notanda opera usus sum, ut postea non nisi compendiario citari possint.

INDEX AVCTORVM ET SIGLORVM

Act. Mart. — Acta primorum Martyrum sincera, ed. Th. Ruinart, 2 ed. Amstelaedami, 1713, 1 vol. in-fol.

Ann. Fuld. — Annales Fuldenses antiqui, ap. *Mon. Germ. Hist.* Pertz, t. V, p. 116 sqq.

Ann. SGerm. — Annales S. Germani minores, *ibid.*, t. VI, p. 3 sqq.

Anthim. — Anthimi de Observatione ciborum epistula ad Theudericum regem Francorum, ed. V. Rose, Lipsiae, Teubner, 1877.

ARF. — Annales Rerum Francicarum quae a Pippino et Carolo Magno regibus gestae sunt, ab an. p. C. N. DCCXLI usque ad an. DCCCXIV, ap. *Recueil des Historiens des Gaules et de la France,* par Dom Martin Bouquet, nouv. éd. p. L. Delisle, Paris, 1869, t. V, p. 32 sqq.

Arn. — Arnobius Iunior, Conflictus de Deo trino et uno libri II, ap. *Patrologiae Cursum Completum,* ed. Migne, t. LIII, p. 239 sqq.

Aus. — Magni Ausonii opuscula, ed. Schenkl, 1883 (*Mon. Germ. Hist.* in-4, Auct. Antiq. t. V, pars poster.)

Avit. — Alcimi Ecdicii Aviti opera, ed. Peiper, 1883 (*ibid.* Auct. Antiq. t. VI, pars poster.)

Capit. HL. — Hludowici Pii Capitularia, ap. *Capit. Regum Francorum,* ed. A. Boretius, 1883 (*ibid.* Legum Sectio II, t. I) p. 261 sqq.

Capit. KC. — Karoli II Capitularia, ap. *Mon. Germ. Hist.* Pertz, t. III, p. 374 sqq.

Capit KM. — Karoli Magni Capitularia, ap. *Capit. Regum Francorum,* p. 44 sqq.

Capit. M. — Capitularia Merowingica, *ibid.* p. 1 sqq.

Capit. MD. — Capitularia Maiorum domus, *ibid.* p. 24 sqq.

Capit. PP. — Pippini Capitularia, *ibid.* p. 31 sqq.

Cart. Sen. — Cartae Senonicae, ap. *Formulae Merowingici et Karolini aevi,* ed. Karolus Zeumer, 1882 (*ibid.* Legum Sectio V, Formulae, pars prior), p. 185 sqq.

ChM. — Chartae Merovingicae, ap. *Diplomata, Chartae, Epistolae, Leges aliaque instrumenta ad res Gallo-Francicas spectantia,* prius collecta a vv. cc. de Brequigny et La Porte du Theil, ed. J. M. Pardessus, Lut. Paris., 1843, 2 vol. in-fol.

Chron. A. — Chronicon ab anno Christi 378 ad an. 455 (vulgo tributum Prospero Aquitano), ap. *Recueil des Historiens des Gaules, etc.*, t. I, p. 624 sqq.

Cl. Mam. — Mamertus Claudianus Presb. Viennensis, De Statu Animae libri III, ap. *Patrol. Lat.,* t. LIII, p. 697 sqq.

Cl. Mar. — Claudius Marius Victor, Commentariorum in Genesin libri III, *ibid.*, t. LXI, p. 937 sqq.

CAG. — Concilia antiqua Galliae, tres in tomos ordine digesta cum

epistolis Pontificum etc., op. et stud. Iacobi Sirmondi, Lut. Paris., 1629. — Conciliorum antiquorum Galliae Supplementa, op. et stud. P. Delalandre, Lut. Paris., 1666, 1 vol. in-fol.

Desid. — S. Desiderius Episc. Cadurcensis, Epistularum libri II, ap. *Patrol. Lat.*, t. LXXXVII, p. 247 sqq.

Dipl. — Diplomatum tomus I, 1872 (*Mon. Germ. Hist.* Pertz, t. XXIV) : 1° Dipl. Reg. — Diplomata regum Francorum e stirpe Merowingica, p. 1-88; 2° Dipl. Mai. — Diplomata Maiorum domus, p. 89-110.

Eginh. — Eginhardi Vita et Conversatio Gloriosissimi imperatoris Karoli regis Magni, ap. *Recueil des Historiens des Gaules etc.*, t. V, p. 88 sqq.

Form. And. — Formulae Andecavenses, ap. *Form. Merow. et Karol. aevi*, ed. K. Zeumer, p. 1, sqq.

Form. Bit. — Formulae Bituricenses, *ibid.* p. 166 sqq.

Form. Imp. — Formulae Imperiales e curia Ludovici Pii, *ibid.* p. 285 sqq.

Form. Marc. — Marculfi Formularum libri II, *ibid.*, p. 32 sqq.

Form. SB. — Formulae Salicae Bignonianae, *ibid.*, p. 227 sqq.

Form. SL. — Formulae Salicae Lindenbrogianae, *ibid.*, p. 265, sqq.

Form. SM. — Formulae Salicae Merkelianae, *ibid.*, p. 239 sqq.

Form. rhythm. — Formulae rhythmicae V, sive Additamentum e codice Formularum Senonensium, *ibid.*, p. 220 sqq.

Form. exorc. — Formulae veteres Exorcismorum et Excommunicationum, ap. Capitularia regum Francorum, ed. St. Baluzius, 1677 (nov. ed., Parisiis, 1780, 2 vol. in-fol., t. II, p. 639 sqq.)

Fortun. — Venantius Fortunatus :

Carm. — Venanti Fortunati opera poetica, ed. Leo, 1881 (*Mon. Germ. Hist.* in-4., Auct. Antiq. t. IV, pars prior.)

VSMart. — De Vita S. Martini libri IV, *ibid.*, p. 293 sqq.

VSAlb. — Vita S. Albini Andecavensis Episc., ap. *Patrol. Lat.*, t. LXXXVIII, p. 479 sqq.

VSAm. — Vita S. Amantii Ruthenensis Episc., *ibid.*, p. 513 sqq.

VSGerm. — Vita S. Germani Parisiensis Episc., *ibid.*, p. 453 sqq.

VSHil. — Vita S. Hilarii Pictaviensis Episc., *ibid.*, p. 439 sqq.

VSLeob. — Vita S. Leobini Carnotensis Episc., *ibid.*, p. 549 sqq.

VSPat. — Vita S. Paterni Abrincensis Episc, *ibid.*, p. 487 sqq.

VSRad. — Vita S. Radegundis reginae, *ibid.*, p. 497 sqq.

Fredeg. — Fredegarii Scholastici Chronicon, ap. *Recueil des Historiens des Gaules etc.*, t. II, p. 412 sqq.

Greg. Tur. — Gregorius Turonensis :

HF. — Historiae Francorum libri X, edid. W. Arndt et Br. Krusch, 1884, (*Mon. Germ. Hist.* in-4, Script. rerum Merov. t. I, pars I.)

CS. — De cursu Stellarum ratio, ap. *Miracula et Opera minora*, edid. W. Arndt et Br. Krusch, 1885 (*ibid.* pars II), p. 854 sqq.

GC. — Liber in Gloria Confessorum, *ibid.*, p. 744 sqq.

GM. — Liber in Gloria Martyrum, *ibid.*, p. 484 sqq.

MA. — Liber de Miraculis B. Andreae Apostoli, *ibid.*, p. 821 sqq.

VI. — Liber de passione et virtutibus S. Iuliani martyris, *ibid.*, p. 562 sqq.

VM. — De virtutibus S. Martini Episc. libri IV, *ibid.*, p. 584 sqq.

VP. — Liber Vitae Patrum, *ibid.*, p. 661 sqq.

GRF. — Gesta Regum Francorum, ap. *Recueil des Historiens des Gaules etc.*, t. II, p. 539 sqq. (text. 2, ex ms. cod. Eccles. Cameracensis.)

Hilar. — S. Hilarius Episc. Pictaviensis, De Trinitate libri XII, ap. *Patrol. Lat.*, t. X.

HLang. — Histoire générale de Languedoc, par D. Devic et D. Vaissete, nouv. éd., 14 vol. gr. in-4, Toulouse, 1872-76 (*Preuves*, t. II).

ICG. — Inscriptions Chrétiennes de la Gaule, antérieures au VIIIe siècle, réunies et annotées par Edmond Le Blant, Paris, 1856-65, 2 vol. gr. in-4.

IETr. — Instrumenta Ecclesiae Trevirensis, ap. *Gallia Christiana*, t. XIII, p. 287 sqq.

Ioc. Mon. — Ioca Monachorum, texte du VI[e] siècle (?) écrit au VIII[e], pub. par P. Meyer, *Romania*, I. p. 483 sqq.

LAlam. — Leges Alamannorum, ed. J. Merkel, 1863, ap. *Mon. Germ. Hist.* Pertz, t. XV, p. 1 sqq.

LBai. — Leges Baiuwariorum, ed. J. Merkel, *ibid.*, p. 183 sqq. (textus legis primus ex codicibus A. B. propositus.)

LBurg. — Leges Burgundionum, ed. Fr. Bluhme, *ibid.*, p. 497 sqq. (G. — Liber legum Gundebati, p. 524-578; P. — Lex Romana sec. Papinianum, p. 595-624.)

LRib. — Lex Ribuaria, ed. Rudolphus Sohm, Hannoverae, 1883.

LSal. — Lex Salica, *the ten texts with the Glosses and the Lex Emendata*, synopt. ed. by J. H. Hessels, London, 1880.

Mar. Av. — Marii Aventicensis Episc. Chronicon, ap. *Recueil des Historiens des Gaules etc.*, t. II, p. 12 sqq.

Nith. — Nithardi Historiae libri IV, *ibid.*, t. VII, p. 10 sqq.

Paul. Nol. — Paulinus Nolanus :

Ep. — Epistulae LI, ap. *Patrol. Lat.*, t. LXI, p. 153 sqq.

Poem. — Poemata XXXIV, *ibid.*, p. 437 sqq.

Paul. Petr. — Paulinus Petricordiensis, De Vita S. Martini libri VI, ap. *Patrol. Lat.*, t. LXI, p. 1009 sqq.

Pr. Nich. — Prosa S. Nicholai, ap. *Poésies populaires Latines antérieures au douzième siècle*, pub. par Edélestand Du Méril, Paris, 1843, p. 170 sqq.

Prosp. — S. Prosper Aquitanus :

Ep. Aug. — Epistula ad Augustinum, ap. *Patrol. Lat.*, t. LI, p. 67 sqq.

Ep. Ruf. — Epistula ad Rufinum, *ibid.*, p. 77 sqq.

Carm. Ingr. — Carmen de Ingratis, *ibid.*, p. 91, sqq.

De Grat. — De Gratia Dei et libero Arbitrio liber, *ibid.*, p. 213 sqq.

RLR. — *Revue des Langues Romanes*, (textes bas-latins pub. par Boucherie : *Commentaire sur Virgile*, *Formules de Confession*, *Prières*, etc.)

Rutil. — Claudii Rutilii Namatiani De reditu suo libri II, ed. L. Mueller, Lipsiae, Teubner, 1870.

Salv. — Salvianus Presbyter, De Gubernatione Dei libri VIII, ed. Halm. 1877 (*Mon. Germ. Hist.* in-4, Auct. Antiq. t. I, pars prior).

Sidon. — Sidonius Apollinaris :

Ep. — Epistularum libri IX, ap. *Patrol. Lat.*, t. LVIII, p. 443 sqq.

Carm. — Carmina XXIV, *ibid.*, p. 639 sqq.

Sturm. — Sturmii Fuldensis abbatis scripta quae exstant, ap. *Patrol. Lat.*, t. LXXXIX, p. 1259 sqq.

Sulp. — Sulpicius Severus, ed. C. Halm, ap. *Corpus Script. Eccles. Latin. Vindobonense,* (Chron. — Chronicon ; Dial. — Dialogi ; VMart. — Vita S. Martini.)

TBert. — S. Bertichramni Episc. Cenomanensis Testamentum, ap. Mabillon, *Vetera Analecta,* ed. nov. Parisiis, 1723, 1 vol. in-fol., p. 255 sqq.

VEuphr. — Vie de Sainte Euphrosyne, pub. par Boucherie, *Revue des Langues Romanes,* II, p. 23 sqq.

VGall. — Vitae S. Galli libri II, ap. *Mon. Germ. Hist.* Pertz, t. II, p. 5 sqq.

DE PRAEPOSITIONE *AD* CASVALI

IN LATINITATE

AEVI MEROVINGICI

OBSERVATIONES PRAEVIAE

De origine latinae praepositionis *ad* non hic est locus disserendi vel inquirendi qua sensuum cognatione iungatur eadem cum quibusdam linguarum indo-europaearum particulis (1). Immo, quamvis ad tractandam quaestionem propositam id potissimum accedat, admodum nihil habeo quod certius dicam de usitatis praepositionibus in lingua Galliae celtica : apud quam exstitisse quidem videntur particulae separabiles, quae vice praepositionum fungebantur, et inter alias particula *ad*, cuius usus est frequentissimus

(1) Fr. Bopp, in Grammatica comparativa Linguarum Indo-Europaearum, sanscrittam praepositionem *àdi* (gall. *sur, vers*) notavit, et particulam *di* graecae θι particulae in adverbiis localibus πό-θι, ὅ-θι, οὐρανό-θι, etc. congrue respondere commonuit. Quibuscum idem non immerito latinam *ad* praepositionem contulit, et in gothica etiam lingua docuit *und* et *at* particulas cognatas esse. Cf. *Vergleichende Grammatik des Sanskrit etc.*, 2 ed. Berlin, 1860, 3 vol., § 997, t. III, p. 489. — De origine vero praepositionum pronominali, cf. *ibid.* § 995, t. III, p. 487.

in compositione veterum nominum hibernicorum (1). Sed vestigia supersunt tantummodo antiquioris sermonis, et fatentibus philologis prope omnibus impeditissimum erit ac prorsus opinabile si quis perdiderit operam ad finiendum quo momento celtica lingua novae latinitatis merovingicae syntaxi ordinandae profuerit.

Idcirco rem ipsam actutum adgrediar : scilicet distinctis, ut in prooemio supra dixi, variis latinae praepositionis *ad* usibus inquiram quatenus vel adservati sint vel disperierint apud Merovingicos scriptores iidem usus, inquiram etiam qui novi paulatim in vulgarem praecipue sermonem irrepserint ac ceteros ita deturbaverint ut inter latinitatis ruinas detegatur novae gallicae linguae coagmentatio quaedam. Quod quidem exemplis quam plurimis et ordine digestis ex varia aetatum serie probare mihi destinatum est.

Cum autem apud Latinos praepositio *ad* (2) quattuor vices prae-

---

(1) De his particulis ita Zeuss : « Extant particulae in nominibus compositis gallicis vetustis, quae haud dubie separatae praepositionum vice fungebantur. Particulas esse, non nomina, ex hoc ipso patet, quod aut non intercedit post eas vocalis, ut post *ad -*, *in -*, *con -*, *com -*, aut intercedunt quae non inveniuntur in compositione nominum *a* et *e*, ut in *ate -*, *cata -*, *ande -;* in *i* desinunt solae *di -*, *tri -*, *ambi -*. Ex his quaedam videri poterunt inseparabiles, ut *ad -*, *ate -*, *ande -*, quia ne in hibernica quidem lingua vetusta sunt separatae *ad, aith, ind;* attamen etiam has principio extitisse separatas docemur tam cambr. *at* quam aliarum linguarum affinium praepositionibus, lat. *ad*, germ. *at, and,* gr. *ἀντί.* » (*Grammatica Celtica,* 2 ed. Ebel, p. 865.)

(2) Quod vero ad orthographiam praepositionis spectat, de *at* pro *ad* cf. Quintil. 1, 7, 5. Cf. etiam Fr. Neue (*Formenlehre der Lateinischen Sprache,* 3 vol. Berlin, 1875, t. II, p. 704 sqq.), qui exempla multa ex Inscriptionibus latinis ducta protulit (CIL. 1, 1252; 2, 4514; 3, 536, 586, etc. etc.) — Cuius rei numerosiora specimina e monumentis merovingicis cum depromere possim, haec supersedeo propositis quibusdam tantum locis, in quibus praepositio *a* pro *ad* finalem *d* litteram iam amisit et formam romanicam induit : Sedere *a* dexteram Patris. Greg. Tur. HF. 1, prol. — *A* mare usque. Id. ib. 1, 10. — Regressus est unusquisque *a* civitatem suam. Id. ib. 9, 11, B 2. — *A* plene eruditus. Id. ib, 4, 46. — *A* casa illius ambulent. Capit. M. 4, a. 561-84, p. 9, 22. — Sin autem manitus fuerit ad secundo mallo, aut *a* tertio, seu ad quarto. LRib. 32, 2. — *A* domino eius, cuius quadropedes est interfectus, ipsum quadropedem tribuat. Ib. 46, 2. — Quod *a* vobis delegabi. Form. And. 41, p. 19, 3. — *A* Domino migraverit. Form. Marc. 1, 1, p. 39, 24. — *A* quo placito veniens. Ib. 1, 37, p. 67, 6. — Veniens Arloynus *a* suum placitum. HLang. 6, a. 782, p. 49. — Quis in altom axsenderit *a* sidira. Ioc. Mon. 38. — Confiteor tibi, Domine, et angelis tuis et sanctis tuis et *a* hnc (= hunc) sacerdote pecata mea, qualis ab infancia mea feci usque odie. RLR. t. VII, p. 26. Etc. etc.

sertim, ita ut signaret locum, tempus, finem et modum, habuisse videatur, non est dubium si varios sensus ab origine repetamus quin vim localem exhibuerit inprimis et proximitatem declaraverit; non dubium quin ceteri inde usus velut ex uno fonte depromi possint. Sed materiam sic ingredientibus occurrit statim distinctio et illa quidem necessaria : nempe *ad* apud Latinos quasi duplici usu inservit loco et propinquitatem significat sive per motum et accessionem, sive quae provenit ex positione exclusa movendi notione, ita ut *ire ad urbem* possim dicere, et alioqui *esse ad urbem.*

Quod profecto a latinis grammaticis et inter ceteros a Prisciano iam observatum est ac notatum : « *Ad* tam in compositione quam in appositione plerumque proximitatem significat, ut *adeo, adcurro, advenio, assideo, ad Troiam* pro *iuxta Troiam, ad urbem pro iuxta urbem, ad balneas Pallacinas,* hoc est *iuxta balneas* » (1). Inter recentiores vero grammaticos orta est contentio utrum propinquitatis per accessionem an ex positione primitivam praepositio exhiberet notionem. Novus enim editor *Totius Latinitatis Lexici* putat « primitivam notionem esse hanc, ut *ad* omnino *directionem* aliquam significet, exclusa appropinquandi notione; inde demum iure derivari illam, quam primam Kaercherus posuit, significationem *appropinquandi* » (2). Sed Kaerchero potius adsentiar et multis aliis, inter quos recentissimus Draeger in *Historica Latini Sermonis Syntaxi* (3). Nam mihi facilius videtur ex adpropinquandi sensu sensum standi in loco vel apud aliquem, quasi detracta motus notione et sic ut accessio definitiva notetur, derivari posse, quam si ex proximitate initiali ad movendi notionem accedere velis.

Hunc ergo ordinem ad disponendam disceptationem sequamur, ut prodeant primum exempla quae ad motum et translationem referri quolibet modo videantur, sive id fiat recta ratione movendi

---

(1) *Prisciani Inst.*, lib. XIV, K. t. III, p. 37, 7. — Grammatici, cum loquendi confusiones vitari vellent, alterum etiam interdum sensum praepositioni *ad* denegaverunt. Ita Donatus : « Ex his *ad* et *apvd* cum unius casus sint, diverso modo ponuntur. Dicimus enim « ad amicum vado », « apud amicum sum ». Nam neque « apud amicum vado » recte dicitur, neque « ad amicum sum ». *(Donati Ars Grammatica,* lib. II, K. t. IV, p. 390, 13.)

(2) TLL., t. I, p. 47, col. 3.

(3) Cf. Draeger, *Hist. Synt.*, t. I. p. 575; Kühner, *Gramm.*, t. II, § 97, 2.

e loco ad terminum vel per adtributionem rei ad alteram, sive adiungatur finis designati notio vel intercidat inter duas res comparatio quaedam. Exponentur deinde praepositionis usus qui ex initiali propinquitate vel in loco vel in tempore pendent, quique in Merovingica latinitate non parvo momento praevaluerunt, si spectes ad modi aut instrumenti designationem.

PARS PRIOR

PROXIMITAS PER ACCESSIONEM NOTATVR

CAPVT I.

DE PRAEPOSITIONE *AD* LOCALI CVM MOVENDI NOTIONE.

Ex praeviis observationibus sequitur sensum praepositionis *ad* accessionem localem signantis veluti primum ac genuinum statim hic esse exhibendum. Vis autem illa translationis e loco ad terminum, quamvis per se sit apertior, eo maiori cura intercidentibus distinctionibus examinanda est, quod iam apud Latinos et praesertim in infima latinitate e notione accedendi transeas ad notionem adtributionis localis, id est iam particula cum dativo casu concurrat.

I.

a) Apud Latinos fuit omni tempore usitatius translationem ad locum vel ad aliquem signare praepositione *ad*, saepe etiam iterata post verba quibus inest particula loquelaris veluti *adire, advenire, accedere* et alia huiuscemodi. Supervacuum sine dubio esset usum notissimum multis exemplis hic illustrare : Nolite, hospites, *ad* me adire. Enn. trag. 404. — Eo *ad* forum. Plaut. Asin. 108. — *Ad* senem cursum capessam. Id. Capt. 776. — Quom extemplo *ad* forum advenero. Id. ib. 786. — Cum senatus *ad* Caesarem supplex accederet. Cic. ad fam. 4, 4. — Mittuntur *ad* eas civitates legati. Caes. BG. 3, 23. — Tunica decidit *ad* pedes. Suet. Aug. 44. Observemus tantum apud auctores qui dicuntur classici, praecipue apud

poetas, dativum casum particulae aliquando succedere ad signandam motus directionem : It clamor caelo. Verg. Aen. 5, 451. — Spolia... coniciunt igni. Id. ib. 11, 194.

In infima vel merovingicae aetatis latinitate particula vim translationis usque ad finem exhibet simillimam, ita ut paucis quoque exemplis rem commonstrare satis sit : *Ad* tropicum pergit signum gelidi Capricorni. Aus. 5. Ecl. 8, 10. — Inde *ad* Agenorei festinans cornua tauri. Id. ib. 8, 14. — Migravit *ad* astra. ICG. 627, Aix, a. 470. — Migravit *ad* dominum. Ib. 623. Aix, a. 517. — Sublimatur *ad* summa fastigia. Pr. Nich. 5. — Ut migraret de hoc seculo *ad* Dominum. VEuphr. 17. — Reversus est *ad* abbatem. Ib. 15. — Ambolabat *ad* ipso monosterio. Ib. 13 (1). — *Ad* domum illius ambulare debet. LSal. 1, 1, 3. — *Ad* ipso monastirio accedere. Form. Marc. 2, 2, p. 42, 9. — Dum venit puelle *ad* abbatem iactavit *ad* pedes. VEuphr. 4. — De altitudine muri *ad* terram corruit. Greg. Tur. HF. 3, 8. — Ornatum capitis *ad* terram proiecit. Id. GM. 9. — *Ad* humum, testo disrupto, corruit. Id. ib. 60. — Cum portitores *ad* locum quendam Lemovicini termini advenissent. Id. ib. 100. — Negotiator de civitate illa *ad* hanc urbem advenit. Id. GC. 108. — Dirigens *ad* nos legationem. Form. Imp. 13, p. 295, 33. — Si *ad* nostram curtem venerit. Capit. KC. a. 873, p. 519, 10. Item post substantiva derivativa et perspicue motum indicantia: Descensus *ad* carnem. Arn. de Deo, 2, 26. — Accessus *ad* utrumque sepulchrum. Greg. Tur. GC. 27. — Processum *ad* triste tribunal. Fortun. VSMart. 4, 109. — *Ad* basilicam sancti Remedii confugium. Fredeg. 83. — Confugium *ad* ecclesiam. LBai. 1, 7. Quod quidem et apud ipsos Latinos fuerat usitatum.

Immo non hic quaerendum videtur quae inter scriptorum usus et vulgarem sermonem possit intercidere distinctio, cum vim prorsus eandem movendi e loco ad terminum particula *à* retineat in monumentis gallicis : Volat *a* ciel. Eulalie, 25. — *A* lui nos laist venir. Ib. 28. — *Al* sos fidels cum repadred. Passion, 33. — Iudas

(1) Semel dictum sit *ad* apud Merovingicos praeponi flexionibus non accusativi tantum latini, sed dativi quoque et ablativi, interdum immo genetivi. Nihil autem ad nostrum argumentum ex illa casuum confusione possis concludere; nihil etiam in universum, nisi iam obliquos declinationis casus ad unam eandemque formam vergere. De quo ceterum cf. d'Arbois de Jubainville, *De la déclinaison latine en Gaule à l'époque Mérovingienne,* Paris, 1872, passim.

cum veggra *ad* Ihesum. Ib. 37. — *Al* rei lo duistrent soi parent. SLéger, 3. — Donc vint edrant dreitement *a* la mer. Alexis, 16. — Donc en eisit danz Alexis *a* terre. Ib. 17. — *A* terre chiet pasmede. Ib. 85. — *A* Carlemagne irez. Rol. 70. — Angle del ciel i descendent *a* lui. Ib. 2374. — Chevauchierent *a* une cité. Villeh. 312.

b) Alioqui non est dubium quin vel apud Latinos praepositio *ad* frequenter iam vices usurpaverit particulae *in* vicinae quidem sensu sed adiuncta notione in locum intrandi. Reperire est enim iam paulatim vergente lingua : Penetraret *ad* hospitis urbem. Ovid. met. 15, 8. — Prosilivit *ad* flumen. Suet. div. Iul. 32. — *Ad* aliud me cubiculum inducit. Apul. met. 2, 24. Invenias etiam alia huiuscemodi, praesertim cum verbis quibus particula *in* loquelaris inest, quod a recta dicendi consuetudine iam abhorret. Merovingica vero aetate multo frequentiores arbitror fuisse has usuum confusiones, quod ex his auctorum locis probari possit, in quibus *ad* vicem implere praepositionis *in* haud dubie videtur, concurrentibus vel *ad publicum, ad medium* locutionibus : Nullus diaconus... *ad* cellarii secretum intromittat puellam. CAG. conc. Arelatense 2, a. 452, can. 4, p. 103. — *Ad* quem (lacum) certo tempore multitudo rusticorum... lenteamina proiciebat. Greg. Tur. GC. 2. — Quando processit *ad* publicum. Fortun. VSAlb. 6. — Gesta beatissimi Albini deducantur *ad* medium. Id. ib. 5. — Corpora christianorum Saxanorum *ad* cimiteria ecclesiae deferantur. Capit. KM. a. 790, p. 69, 43. Oportet notemus seiunctim positum eadem structura verbum *ingredi,* quod ex usu Ciceroniano accusativum casum vel particulam *in* petit. Sed iam : *Ad* quos paulo ante hospitaliter ingressus fuerat. Iustin. 8, 3. — Iudas *ad* Thamar quasi *ad* scortum ingreditur. Hieron. ep. 123, 13. Apud Merovingicos : *Ad* eos ingreditur. Greg. Tur. HF. 2, 13. — Ingressi *ad* eum. Id. ib. 7, 14. — Cui ingresso *ad* baptismum. Id. ib. 2, 31. — Ingressi pariter *ad* sancti martyris tumulum. Fortun. VSGerm. 9. — *Ad* ipsam ingreditur. Id. VSAlb. 12. — Quasi *ad* balneum ingredi volentes. VGall. 1, p. 9, 34. — Non oporteat mulieres *ad* altare ingredi. Capit. KM. a. 789, p. 55, 20. Quod ad usum vulgarem adtinet, verbum *intrare* pro *ingredi* ponitur, cui vel Latini praepositionem *ad* interdum iunxere : Cum vix intrare posset *ad* praesepia. Phaed. 5, 9. Particulam *en* (= *in*) maluit tamen vetus gallicus sermo : Entrat *en* une nef. Alexis, 39. — *El* cors vus est entree mortel rage. Rol. 747. — Cum il entrerent *en* la cambre voltice. Ib. 2709.

Notetur separatim quoque verbum *adpropinquare,* quod rarius apud Latinos adiuncta particula casuali construitur ut in hoc Ciceroniano : Qui *ad* summam iam aquam adpropinquant. Cic. de fin. 4, 23. Mos autem postea late viguit : Hostium cuneum *ad* monastyrium cernerent propinquare. Greg. Tur. HF. 2, 37. — *Ad* regias aedis sacrae... adpropinquant. Id. ib. 4, 13. — Cernens se iam *ad* terminum Gothorum esse propinquam. Id. ib. 7, 9. — Adpropinquabat navis... *ad* scopulum. Id. GM. 82. Inde usus verborum *aproismer*, *approchier* (lat. vulg. *approximare,* Tertull. adv. Iud. 11) in veteri gallico sermone : Aproismer vol *a* la ciutat. Passion, 4. — *As* Engleis vindrent aproismant. Rou, 8042. — *Au* lit le conte s'i est tost approchie. Amis, 669. — Aprochierent tant *a* la tor. Villeh. 242.

Occurrunt denique verba *adtingere, petere,* quae, etsi priori particula loquelaris insit, apud Romanos semper accusativum casum regunt, ut in his : Eorum fines Nervii adtingebant. Caes. BG. 2, 15. — Adeo perterruerunt, ut Persae non castra, sed naves peterent. Nep. Milt. 5. Iisdem vero frequentius in latinitate merovingica accedit quasi redundans praepositio : Adtigerunt *ad* urbem. Greg. Tur. HF. 3, 15. — *Ad* civitatem Arvernam... non attigit. Id. ib. 4, 5. — Cumque attingere conaretur *ad* ipsas naves. GRF. 23, p. 557, A. — Eo anno Chramnus post sacramenta quae patri dederat, *ad* Britannos petiit. Mar. Av. p. 17, B. — *Ad* alium criptae ostium petit. Greg. Tur. HF. 4, 12. — *Ad* regem petiit. Id. ib. 4, 35. — *Ad* regem petit. Id. ib. 5, 25. — *Ad* hospites suos... expetiit. Id. ib. 5, 49. — *Ad* ecclesiam petit. Id. ib. 7, 47. — *Ad* tugurium Leudeghysili petit. Id. ib. 7, 39. — Ut ei consilium occulte praeberet expetendi *ad* basilicam sancti Martini. Id. ib. 5, 14. — *Ad* basilicam sancti repetiit. Id. VM. 3, 3. Quod tamen potius scriptoribus peculiare dicam, cum evanuerit si ad vulgarem usum adtendas verbum *petere,* et *adtingere* vix in veteri gallica lingua repraesentetur, ut in hoc : Et si ne porras mies atignre *a* lei. SBern. p. 528.

c) Apud Latinos omnium saeculorum auctores usitatius fuit praepositionem *ad* pro *adversus, contra* ponere, praesertim si subaudiatur motus hostilis, ut in his : Eunt *ad* te hostes. Plaut. Capt. 534. — *Ad* senem aliquam fabricam fingit. Ter. Heaut. 545. — Tecti esse *ad* alienos possumus. Cic. pro Rosc. 40. — Veniri *ad* se confestim existimantes. Caes. BG. 7, 70. — Lernaeas pugnet *ad*

hydras. Propert. 2, 24, 25. — Legionem *ad* hostem duxit. Tac. ann. 2, 52. — Dissimulatio qua Socrates *ad* sophistas utebatur. Gell. 18, 4, 1. — Dum utrique *ad* se venissent. Iordan. Get. 122, 5. — Nec *ad* Gothos surgam. Oros. hist. 6, 12, 7 (1). Hoc vero sensus discrimen apud merovingici aevi scriptores rarius notari dicam, nempe proferam tantum : Patrem *ad* se cum exercitu venire cognovit. Greg. Tur. HF. 6, 43. — *Ad* bestias pugnaturi estis. Act. Mart. pass. SS. Bonosi et Maximiani. 4, p. 595. Sed plerumque Gregorius Turonensis aliique in his verborum constructionibus *contra* vel *adversus* ponunt : cuius rei supervacuum sit exempla dare. Coicere autem licet hoc dicendi genus in vulgari sermone frequentius quam apud scripta documenta usurpatum, cum vel in nostra romanica lingua pro praepositione *contre* sit reperire : Ki se cumbat *as* Sarrazins d'Espaigne. Rol. 1847. — Outre la mer irai *as* Sarrazins. Garin, 4645. — Si combatoit li ber *a* un lyon. Amis, 869. — Li suen sergant *as* nuz estrivent. Brut, 1909. — Normant archier qui ars teneient *as* Engleis mult espés traeient. Rou, 8163. — Si li devés un campïon trover, *a* cui se puist combatre en camp malé. Huon de B. 5818. — Il iroient combatre *a* els. Villeh. 139.

Proximo tamen sensu Merovingici *ad* praepositionem adhibent, si localis ad fixum punctum non ad personam indicetur motus, cum verbis *collidere*, *percutere* : Conlisumque *ad* lapidem pedem. Greg. Tur. VM. 3, 15. — Percussum *ad* portae limen superius caput. Id. GM. 60. — Adprehensus a quodam per pedem *ad* petram percutitur. Fredeg. 38. Simillima postea ratione : S'estoit hurtée *a* un chaillo. Berte, 828. — Nostre neis hurta *a* une queue de sablon. Joinv. 618.

II.

Quod adtinet ad nomina regionum vel urbium seiunctim explicandum, cum, si ad posteriora spectes, praepositio quaestus fecerit plurimos, et infimae latinitatis usus in linguis deinceps romanicis prope sine controversia perviguerit (2).

---

(1) De quo praeterea cf. Tursellin., cap. 8, § 2, 15 ; Draeger, *Hist. Synt.*, t. I, p. 576.

(2). Cf. Madvig, *Gramm.*, § 232, et praesertim Diez, *Gramm.*, p. 876.

a) Apud Latinos quidem mos fuit particula *in* translationem ad regiones notare, utpote qui dicerent : *venio in Italiam, in Galliam*, etc. Sed vergente paulatim lingua, saepius *ad* iisdem nominibus est praepositum, cuius rei exempla fere innumera apud scriptores *Historiae Augustae :* Cimbri et Teutones *ad* Italiam transierunt. Eutr. 5, 2. — Hannibale veniente *ad* Africam. Id. 3, 22. — *Ad* Hispaniam missus. Spartian. Sever. 3. — *Ad* Africam legiones misit. Id. ib. 8. — Ut legiones *ad* Africam mitteret. Id. Pescenn. 5. — Ad agros suos profectus et *ad* Campaniam. Capitol. Anton. P. 7. — Revertens *ad* Italiam. Id. Anton. Phil. 27. — Ut *ad* Britanniam proficisceretur. Id. Pertin. 3. — *Ad* Galliam translatus. Id. Clod. Alb. 6. — *Ad* Africam isse. Id. Opil. Macr. 4. — Cum *ad* Italiam pergerent. Eugip. vit. S. Sever. 7, 1. — Vade *ad* Italiam. Id. ib. 7, 2.

Eandem structuram non semel apud Patres Gallicos vel aevo merovingico in scriptoribus Latinorum imitatoribus reperias : Si *ad* Italiam pergeret. Sulp. VSMart. 20, 8. — Imperator decreverat tribunos summa potestate armatos *ad* Hispanias mittere. Id. dial. 3, 11, 4. — Cum *ad* Africam veni. Id. ib. 1, 23, 5. — Regressus ad Alexandriam, visitatis ibi fratribus, *ad* superiorem inde Thebaidem... contendi. Id. ib. 1, 9, 6. — Gothis *ad* Hispanias migrantibus. Chron. A. p. 628, B. — Exercitus *ad* Hispanias contra Vandalos missus est. Ib. p. 629, B. — Profugus ad urbem atque illinc *ad* Dalmatiam. Ib. p. 630, E. — Confestim *ad* Italiam directus. Greg. Tur. HF. 2, 3. — *Ad* Gallias mittitur. Id. ib. 2, 9. — Profectusque *ad* partes Burgundiae. Fortun. VSPat. 12. Sed constructio nec in deterioribus instrumentis nec resarta apud Karolinos latinitate occurrit, immo nusquam in gallico nostro sermone, qui semper particulam *en* (= *in*) iisdem regionum nominibus praeponit : unde concludi potest merito eam vix in vulgarem usum irrepsisse.

b) Si vero de urbium nominibus, dissimili se ratione res habuit. Quorum quidem cum solus in latinitate accusativus casus accessionem post verba movendi plerumque indicaret, apud optimos auctores aliquotiens tamen praepositionem *ad* invenias iisdem haud ambigua constructione cohaerentem. Quid si senescentis linguae monumenta et Patres ecclesiasticos adtigeris? Satis sit pauca hic proposuisse : Si *ad* Sidam navigassem. Cic. ad fam. 3, 6, 2. — Cum

ergo *ad* Heracleam noctu accederem. Id. in Verr. 1, 27, 69. — Marius *ad* Zamam pervenit. Sall. Iug. 57. — Inde *ad* Veios exercitus ductus. Liv. 5, 19, 8. — Cum exirent *ad* Colchos. Hygin. fab. 14. — Quare *ad* Troiam quinquaginta reges navigaverint. Quintil. 7, 2, 3. — Tendens *ad* Lundinium. Amm. Marcell. 27, 8, 7. — Deductumque postremo per fugam cum paucis *ad* Hibitam. Id. 25, 9, 3. — Ibimus *ad* Nazareth. Hieron. ep. 46, 12. — Me vero Nabuchodonosor *ad* Babylonem duxit. Id. ib. 7, 3. — Ab Epidauro ambivit *ad* Romam. Augustin. de civ. Dei, 3, 12.

Usus ille praevaluit tum apud scriptores Merovingicos tum in instrumentis eiusdem aevi, adservatusque a Karolinis postea in nostro vulgari sermone semper ad similitudinem adhibetur (1). Cuius cum abundent exempla, haec tantummodo proponantur: Regressus *ad* Alexandriam. Sulp. dial. 1, 9, 6. — *Ad* Centumcellas forti defleximus austro. Rutil. 1, 237. — Nos *ad* Cartaginem venire praecepit. Greg. Tur. HF. 2, 3. — *Ad* Arvernus dirigit. Id. ib. 2, 37. — *Ad* Constantinopolim accessit. Id. ib. 6, 24. — *Ad* Veredunensem urbem dirigit. Id. ib. 9, 12. — *Ad* Niceam proficiscitur. Id. MA. 6. — Venimus *ad* Cantum. Fortun. carm. 6, 7, 1. — Cum *ad* Carnonam castellum accederet. Id. VSGerm. 59. — *Ad* Parisius pervenit. Fredeg. 58. — Ut thesauros, quantum poterat, secretissime *ad* Sedunis suam civitatem transferret. Id. 44. — Ad Alaricum regem Gothorum aufugit *ad* urbem Tholosam. GRF. 9, p. 547, A. — Tunc venerunt *ad* Troiam. RLR. t. VI, p. 422. — Quod in dextera parte de strada est qui vadit *ad* Pontileugua. TBert. p. 258, 1. — Strada publica qui de ipsa porta Parisiaca *ad* Broile vadit. ChM. 363, a. 670, p. 152. — Qui propter Deum *ad* Romam vel alicubi vadunt. Capit. PP. a. 754, p. 32, 7. — De Baioaria hiemandi gratia *ad* Franconovurd veniret. Form. Imp. 49, p. 323, 26. — *Ad* Vernum evocati sumus. Capit. KC. a. 844, p. 383, 31. Inde vero ad gallici sermonis usum merito transire possumus: Dreit *a* Lalice, une citet molt bele, iloc arivet. Alexis, 17. — Cil

---

(1) Suspicari tamen licet ad hanc urbium nominum designationem in vulgari ac cotidiano sermone concurrisse *in* cum praepositione *ad*, nam usus satis frequens vel in antiqua nostra lingua: Alat *en* Alsis la citet. Alexis, 18. — Ki enveier purrum *en* Sarraguce. Rol. 245. — Ja *en* Orenge n'ere mais repairant. Aliscans, 716.

s'en repairent *a* Rome la citet. Ib. 26. — Dreit *a* Tarson espeiret ariver. Ib. 39. — Vait edrant *a* Rome. Ib. 43. — En France *ad* Ais s'en deit bien repairier. Rol. 36. — Car *a* Orenge s'en quida repairier. Aliscans, 897. — Si vint *a* Verone en Lombardie. Villeh. 70.

III.

In omnibus huc usque usurpatis locis praepositio *ad* translationem notat ad aliquem vel ad locum quendam. Seiunctim, etsi vis quoque praepositioni insit simillima, notanda putavi exempla quibus signatur figurate translatio vel ad novum animi statum, vel ad rem quae sub sensus non cadit.

Cum autem ab usu latino (1) Gallo-Romani scriptores vel etiam Merovingici non adeo discrepare videantur, exempla nonnulla statim proferam : Mutatus *ad* graecam fidem. Aus. ep. 22, 24. — Praedicabat, munus suum *ad* officium publicae salutis extendens. Hilar. de Trin. 1, 14. — Elevata *ad* impietatem ingenia. Id. ib. 12, 20. — Sterilitas... *ad* dulcedinem fecunditatemque mutata est. Paul. Nol. ep. 23, 7. — Ille nos beneficiis suis provocat *ad* compunctionem, nos ruimus in dissolutionem. Salv. de Gub. 6, 95. — Quae *ad* consensum meum pertingere exposita potuerunt nulla potero ratione iterare. Arn. de Deo, 1, 8. — Britannos *ad* catholicam fidem dirigit. Chron. A. p. 630, C. — *Ad* summam eum contumeliam redigerunt. Greg. Tur. HF. 2, 23. — *Ad* pristinam rediit sanitatem. Id. ib. 2, 3. — Cum multos salubri caelestique mandato restaurasset *ad* vitam. Id. GM. 2. — Si *ad* vitam surrexerit. Id. MA. 7. — Mentem inergia turbatam *ad* integritatem intellegentiae reparavit. Id. VP. 15, 3. — Paulatim *ad* fructus stupidos animaverat agros. Fortun. VSMart. 3, 164. — Torporem veteratum *ad* vivacitatem resuscitat. Id. VSGerm. 27. — Naturalibus motibus *ad* vitalem usum tota fabrica renovatur. Id. ib. 45. — *Ad* iudicium Metropolitani sui recurrat. CAG. conc. Parisiense 5, a. 615, can. 11, p. 473. — Transierunt *ad* veram remeans e corpure vitam. ICG. 380, Briord, s. VI-VII. — Qui nos *ad* pacis concordiam vel unanimitatem visi sunt revocasse. Form.

---

(1) Cf. praesertim Draeger, *Hist. Synt.*, t. I, p. 576.

SL. 16, p. 277, 26. — *Ad* salutem animae pervenire. Capit. MD. a. 742, p. 25, 2. — *Ad* effectum perducimus. Form. Imp. 4, p. 290, 3.— Nos eum *ad* pristinam concessimus pervenire libertatem. Ib. 14, p. 296, 17.— Faciat nos *ad* gaudia eterna pervenire. Jonas, V°, 34.

Praepositio *ad* etiam cum iis rebus quae non cadunt sub sensum, occurrit haud semel eadem ratione ac supra vidimus pro *in* vel *adversus* posita : Ut facilius *ad* hanc sectam populus implicaretur. Greg. Tur. GC. 47. — Hoc celsitudo vestra *ad* suam recipiat dominationem. TBert. p. 257, 1. — Ipsum *ad* illatorum dolorem corpus anima corpori permixta vivificet. Hilar. de Trin. 10, 44. — *Ad* omnia mundanae persuasionis incitamenta hoc esse inexpugnabile munimentum. Greg. Tur. VP. 9, 2. Simillimo iam modo apud Latinos : Obduruisset animus *ad* dolorem. Cic. ad fam. 2, 16, 1.

Si vero adtenderis inde ad gallicos usus, nihil aliud prorsus notabis nisi particulam *à* iisdem movendi ad rem abstractam relationibus inservire, ut in his : *A* lar mort vai cum uns anel. Passion, 39. — Ceste ledice revert *a* grant tristor. Alexis, 14. — Sa grant honor *a* grant dol at tornede. Ib. 29. — Tanz riches reis cunduiz *a* mendistet. Rol. 527. — Par mun saveir vinc jo *a* guarisun. lb. 3774. — *A* ma fin sui alés. Aliscans, 661. — *A* memoire a moi est rapeleie. Dial. Greg. p. 433.

Observ.) Non possum autem quin silentio praeteream saepissime apud Merovingicos scriptores *ad* signans translationem ad aliquem explicari in circuitus paene redundantes, ut *ad occursum, ad praesentiam* : quod quidem inter usus figuratos iure adnumerari potest, sed haberi quoque veluti proprium scriptis documentis, nedum cotidianam consuetudinem prodat. Haec exempla sunto : *Ad occursum* eius venit. Greg. Tur. HF. 3, 22. — *Ad occursum* regis abieram. Id. ib. 6, 2. — Ut eamus *ad occursum* regis. Id. GC. 19. — *Ad occursum* eius properat. Id. VP. 5, 2. — Cum *ad praesentiam* iam dicti principes properassent. Id. HF. 4, 39. — *Ad* nostram accedens *praesentiam*. Dipl. Reg. 33, a. 657, p. 32, 3. — Tunc *ad* regi *presencia* eum manire debit. LSal. 2, 58. — *Ad* nostram veniens *presentiam*. Form. Marc. 1, 19, p. 55, 14. — Illos *ad presenciam* fraternitatis vestre direximus. Ib. 1,9, p. 48, 15.

Ex iis vero quae proposuimus exemplis, ita fere de *ad* signante movendi notionem concludere licet, sive usui latinitatis merovingicae vulgari adtendas, sive etiam usui romanicae linguae :

1º Praepositio vim integram eandemque genuinam servavit, qua translatio signatur, sive propositus accedendi terminus locus sit aut aliquis, sive res etiam quae sub sensus non cadit.

2º Quod ad nomina regionum aut urbium adtinet, quae quidem maximi sunt hic momenti, ex usu romanico adfirmari potest praepositionem posterioribus in sermone vulgari semper fuisse accommodatam, non autem prioribus, etsi infimae latinitatis scriptores exempla quam plurima mendose exhibeant.

CAPVT II.

DE PRAEPOSITIONE *AD* SIGNANTE ADTRIBVTIONEM ET PRO DATIVO CASV POSITA.

Translationi ad terminum notionem hanc arbitror esse propinquiorem, qua praepositio *ad* inservit adtributioni declarandae. Immo si localis fit adtributio, re vera dici potest nihil esse nisi peculiari ratione signata accessio, scilicet eo modo ut non ire proprio motu persona vel deputari res ad locum videatur, sed quasi adiungi definite concurrente additionis notione. Eo subtiliora vero intercidunt discrimina, quod eadem interdum verba hanc adsignationem denotent. Adde quod apud Latinos quaedam translationem potius indicent, sed in infima et vulgari latinitate perspicuum adtribuendi sensum induant : inter quae verbum praesertim citetur *mittere* (= lat. class. *ponere*).

Alioqui notio adtributionis figura valde diversa occurrit, sive illa fiat ab aliquo ad alteram personam cum verbis dandi et dicendi, sive *ad* veluti copula haberi possit personam iungens cum verbo plerumque intransitivo : his enim locis praepositio vices dativi casus iam obsolescentis vergente lingua obtinuit, et relationes signavit simillimas, adiuncta etiam apertae possessionis declaratione. Nobis observandae sunt variae positiones, et quantum fieri potest distinguendum utrum *ad* vim praepositionis localis exhibeat, an particula pro dativo Latinorum usurpetur, quamvis per se circumscriptio vel ad bonam aetatem adtendenti paene sit desperanda.

I.

Quam primum ergo mihi propositum est adtributionis localis subicere exempla, ut inde transeamus ad subtiliores notiones quibus voluntatis vel intellegentiae declarantur motus. Cum autem ad varios hic usus facillime inflectatur praepositio, arduum est integram

amplecti materiam : sed quae notavi praecipue apud scriptores Merovingicos, quaeque deinceps in lingua nostra plus minus occurrunt ad similitudinem, ea ordine proponam.

a) Si ad ipsam spectes latinitatem, adsignationem fieri non semel recta ratione animadvertas, ita ut deputetur aliquis vel aliquid ad certum locum, aut additio signetur praepositione *ad*, ut in his : *Ad* pedes quando adligatum est aequom centumpondium. Plaut. Asin. 303. — Hunc laborem *ad* cotidiana opera addebant. Caes. BC. 3, 49. — Dircen *ad* taurum indomitum deligatam. Hygin. fab. 7. — Ulysses socios suos *ad* pecora alligavit. Id. ib. 125. Latini etiam dici possunt praepositionem dativo anteposuisse quoties notio localis perspicue occurreret. Vim eam particulae in infimis saeculis adeo non periisse dicam, ut latius contra extendatur et *ad* saepe adiciatur verbis *ponere, ligare,* et nonnullis huiuscemodi, indicantibus videlicet motum qui refertur interdum ad partem aliquam corporis. Haec sunto specimina sensus : *Ad* studia litterarum cum eo positus. Greg. Tur. 4, 46. — *Ad* scolam positus. Id. VM. 1, 7. — Posuit manum *ad* sarcofagum. Id. ib. 1, 6. — Pueros per nervos femorum *ad* arbores appendentes. Id. HF. 3, 7. — Cui capsulam *ad* collum posuit. Id. GM. 30. — Cui cum *ad* collum lapis immensus funibus colligatus fuisset. Id. ib. 68. — Signum beatae crucis *ad* os faciens. Id. VM. 2, 3. — Pelle superposita *ad* ipsum geniculum. Id. ib. 3, 9. — Cilicium quod sancta induens *ad* corpus. Fortun. VSRad. 6. — Vetus filum ex ea accipiens *ad* suam zonam ex fide ligavit. Id. VSLeob. 20. — Uno pede et brachio *ad* vitiosissimi equi caudam ligare. Fredeg. 42.

Construendi autem ratio per se liquidior et sermoni vel rustico apta quatenus viguerit in plebe suspicari licet, cum locales has adtributiones usu creberrimo gallica nostra lingua declaret : Pois li bons pedre *ad* escole le mist. Alexis, 7. — Mist la main *a* l'espée. Rol. 443. — Rollanz ad mis l'olifant *a* sa buche. Ib. 1753. — *A* une estache l'unt atachiet. Ib. 3737. — *A* la charrete le murlet atelerent. Amis, 2596. — Li atauchent la croiz *a* l'espaule. Villeh. 44. — Chascune galie fu *a* un vissier liée. Id. 156. — L'arne acouplent *a* la poulie. Renart, 4, 383. — *A* la fenestre marbrine la s'apoia la mescine. Aucassin, 5, 5.

b) Adtributio vero localis recta minus ratione fieri potest, si *ad* loco praeponitur in quem recipitur aliquis : Chramnus vero *ad*

basilicas ab antedicto sacerdote susceptus est. Greg. Tur. HF. 4, 16. — Susceptis nobis *ad* domum suam. Id. VM. 3, 51. — In amore Deo et sancto Petro ipsum *ad* ospitium recipiatis. Form. SB. 16, p. 234, 20. — *Ad* prefato oraturio... conlocari. Form. Marc. 2, 1, p. 71, 24. Etiam cum nomine personae : *Ad* principem vel *ad* potentiores homines, vel ubi et ubi ambularit, vel sibi patronos elegerit non recipiatur. CAG. conc. Parisiense 5, a. 615, can. 3, p. 471.

Sensu etiam proximo frequentius apud Merovingicos scriptores inservit praepositio *ad* pro dativo vel particula *in* designationi successionis in novum statum vel aliquorum coniunctioni factae ob rem quandam. Haec ergo ut usum latinum excedentia et syntaxeos perturbationem denotantia citari decet : Bricius *ad* episcopatum succedit. Greg. Tur. HF. 2, 1. — Consecremus te *ad* episcopatum. Id. ib. 4, 6. — Ordinari *ad* diaconatus. CAG. conc. Arelatense 2, a. 452, can. 1, p. 103. — Assumi aliquem *ad* sacerdotium. Ib. Suppl. can. 2, p. 27. — Recipiat eam iterum *ad* coniugium. Ib. conc. Compendiense, a. 757, can. 3, p. 42. — Eam *ad* coniugium suum copulavit. GRF. 7, p. 546, B. — *Ad* coiugium se coniuncxerunt. Form. And. 45, p. 20, 9. — Femine sociavit sibi *ad* coniugium. Form. SB. 11, p. 232, 11. — Puellam ingenuam *ad* coniugium sociare voluisset. Form. SM. 31, p. 253, 9. — *Ad* coniugium te sociarae dispono. Form. Bit. 15, p. 175, 5.

c) Fit quoque adtributio per praepositionem pro dativo latino plerumque adhibitam post verba quae praesentiam tantum declarant vix aperta movendi notione, velut *esse, adesse, interesse* : Dixit Diodorus haruspex *ad* vitam non plus sex superesse dies. Aus. epigr. 69, 1. — *Ad* ecclesiam assiduus esto. Greg. Tur. HF. 6, 15. — Fuit autem *ad* hanc ordinationem. Id. ib. 7, 31. — Sacerdotis animum qui *ad* haec insistebat, dolor maximus attigit. Id. GM. 41. — *Ad* dedicationem interesse dignemini. Desid. ep. 1, 11. — *Ad* placetum suum adfuit. Form. And. 13, p. 9, 14. — *Ad* vestram excelente terraenae culmenis gloriam... adesse non potui. Form. Bit. 10, p. 173, 4. Nec eadem structura simplex verbum *estre* sine exemplis in nostro sermone : N'i ad icel ki ne demeint irance que il ne sunt *a* Rollant le catanie. Rol. 1845. — *A* la fin de sa vie ne fu je mie. Joinv. 4.

Notio iam deputationis est apertior, si ad verba spectes *tenere,*

occupare, ut in his : Vita sed amborum carnem teneatur *ad* unam. Avit. poem. 1, 187. — Cum tesseris *ad* laborem occuparetur. Sidon. ep. 8, 11, p. 236. — Quid me *ad* has lacrymas, invita vita, tenes? Fortun. carm. 6, 5, 324. Et postea in formulis iuridicis : *Ad* ipsum numerum teneatur. LSal. 2, 39, 7. — *Ad* legem illam teneatur. LBurg. G. 4, 7. — Dum tenetur *ad* debitum. Ib. 27, 6. Cum verbis vero *exercere, erudire,* quae figurato modo adtributionem ad rem vel ad occupationem signare valent, usus particulae frequentior apud sequioris aevi scriptores : *Ad* hanc obstinationem abdicatione voluptatum erudiri. Tertull. de spect. 1. — Post meridiem exercebantur *ad* palos. Veget. 1, 11. — *Ad* usum erudiantur armorum. Id. 1, 3. — Romani veteres, quos tot bella et continuata pericula *ad* omnem rei militaris erudiverant artem. Id. 1, 10. — Docebatur *ad* palum. Id. 1, 11. — Pedites *ad* hoc ipsum exercitati. Id. 3, 16. In merovingica latinitate haec exempla sunto : Qui et *ad* unius veri Dei cultum potuerint instrui. Prosp. ep. Aug. 5. — Qui *ad* perceptionem euangelicae apostolicaeque doctrinae saluberrimis eius disputationibus imbuuntur. Id. ep. Ruf. 4. — Omnes *ad* agnitionem veritatis imbuere. Id. ib. 14. — Cum apud christianos pueros *ad* studia litterarum exerceretur. Greg. Tur. GM. 9. — Filias... *ad* omnem honestatem erudiri iussit. Eginh. VK. 19, p. 97, B.

'Praevaluit etiam aetate merovingica usus praepositionis *ad* post verba *damnare, inculpare, iudicare,* quae quidem in bona latinitate cum genetivo vel ablativo casibus poenae cui reus addicitur reperias. Sed intercidunt eodem fere deputationis sensu : Regum amicos *ad* mortem deposcere. Caes BC. 3, 110. — Macer *ad* exitium poscebatur. Tac. hist. 2, 36. Et iam apud Suetonium : *Ad* opus damnari. Suet. Ner. 31. Posteriora haec exempla sunto : *Ad* digne sibi supplicio condempnentur. LSal. 1, 107, 14. — Non prius damnetur *ad* mortem. LBai. 9, 8. — Si *ad* quecumque inculpantur. LSal. 2, 83. — Visi sunt iudicasse se eundem Tassilonem *ad* mortem. ARF. p. 46, B. — Ab ipso Lodhario *ad* mortem diudicati. Nith. hist. 1, 3. Quae quidem construendi ratio fideliter adservata in veteri nostra lingua viget, ut patet ex his : Si me jugat *a* mort. Rol. 3772. — *A* mort serez jugié. Saxons, 24. — Mult achate l'onur qui est *a* mort jugié. Th. le mart. 121. — Il condempne un larron *a* mort. Oresme, Eth. 164.

d) Signari denique potest, non adeo pereunte locali notione,

adtributio post verba quae denotant motum voluntatis vel intellegentiae. Cum ea vero plerumque apud Latinos dativum regant, hic haberi potest particula *ad* veluti vim exhibens casus emortui.

Occurrunt inprimis *obedire, adquiescere, consentire*. Apud Latinos : Obedire magistratibus. Cic. de leg. 3, 2. — Cui velut oraculo adquiescebat. Suet. Vitell. 14. *Consentire* tamen struitur adiuncta praepositione *cum*, etsi iam reperias : *Ad* inducias. Suet. Calig. 5. Si autem adtendas latinitati merovingicae vel karolinae : Neque *ad* deditionem acquiescentibus animis. Sulp. chron. 2, 15, 4. — *Ad* omnia quiesco. Arn. de Deo, 1, 9. — *Ad* haec cunctus consensit populus. Greg. Tur. HF. 2, 2. — *Ad* eius opera praebere consensum. Id. VP. 20, 2. — Quod *ad* morte sepedicto numquam consentissit. Form. And. 50, p. 22, 14. — *Ad* suam emendationem consentire noluerit. Capit. KM. a. 802, p. 97, 37. — Qui *ad* hoc consenserunt. Ib. a. 808, p. 138, 9. — *Ad* dictam congregationem sanctae crucis honeste et perfecte obedientes. Capit. HL. a. 822, p. 302, 31. Inde quidem in veteri gallico sermone : Cui vos obeissiez cum *a* seignor. Villeh. 146. — *As* terriens seignurs sunt tuit obeisant. Th. le mart. 38. — Clerc ne deivent *a* vos leiz obeir. Ib. 27. Observemus tamen verbum *consentir* potius sine particula construi, ut in hoc : Consantir vostre voloir. Chev. au lyon, 1988.

Proximo sensu, ut figurate quoque signantia motum ad rem, verba ponam *servire, famulari, vigilare* aliaque eiusdem modi. Latini *servire alicui* dicunt, sed *vigilare* addita particula non sine exemplo vel apud Ciceronem : Intelliges multo me vigilare acrius *ad* salutem, quam te *ad* perniciem rei publicae. Cic. Catil. 1, 10. Nec infitias ibo sensum finalem hic potius *ad* signare : animadvertendum tamen quam facili ratione ad aliam structuram transeas. Haec apud Merovingicos tantum exempla dentur : Famulis elementis praecipe... *ad* nostrum servire bonum. Paul. Nol. poem. 26, 251. — *Ad* victum plebis nunc famulantur aquae. Fortun. carm. 3, 10, 22. — *Ad* abbatem famulans. Id. ib. 4, 14, 13. — Cui hoc erat officium contueri *ad* eius (lychni) conpositionem. Greg. Tur. GM. 103. — Vigilemus unanimiter *ad* ecclesiam Dei. Id. VP. 8, 11. Attamen verbum *servire*, quod hic praecipue est notandum, rectam structuram maluisse in usu cotidiano videtur, ut ex antiquissimo textu suspicari licet : Voldrent la faire diaule servir. Eulalie, 4.

Subiciam amplius verba *credere, cogitare, audire, admonere*, quae

declarant motum mentis aliquem, et insolentius, si ad rationem Latinorum valde diversam spectes, interdum adiuncta praepositione *ad* construuntur. Haec exempla sunto : Corde credamus *ad* iustitiam. Paul. Nol. ep. 42, 3. — *Ad* salutarem confessionis doctrinam admonemur audire. Hilar. de Trin. 6, 28. — Cogitans *ad* Deum. ChM. 529, a. 723, p. 341. — Liutfridus dux cogitans *ad* Deum. Ib. add. 61, a. 739, p. 462. — Ille qui *ad* illum iudicium audire debet. LAlam. 1, 41, 3. — Dominus *ad* repetanti, cum tribus testibus, secrecius admonere debit. LSal. 2, 39, 8. Si quidem ex illo usu, qui praepositionis quaestum non mediocrem profitetur, volueris ad gallicam linguam venire, animadvertas profecto, quod adtinet ad verbum *credere* (= *creire, croire*), valde fuisse addubitatum utrum concurrente particula strueretur, an tantum regeret casum accusativum. In veterrimis enim monumentis : *A* czo nos voldret concreidre li rex pagiens. Eulalie, 21. — Creire *a* ma parole. Adam, p. 20. Sed quoque : Ja mar creirez Marsilie. Rol. 196. — Qui Dieu creoient. Joinv. 30. Decet hic etiam rationem habere verborum *intendere, pensare,* quae sensus praecedentibus propinquiores sine dubio in vulgari latinitate exhibuerunt, et idem valuerunt atque *audire, cogitare*. Prius enim verbum ex usu latino : *intendere animum ad aliquid, ad aliquem,* facillime patitur sibi iungi particulam ; quod ad posterius spectat, momentum ipsius structurae per praepositionem coicere licet. Inde : Un en i ad *a* qui li altre entendent. Rol. 3782. — Or me refait amors *a* lui entendre. Couci, 5. — Plus ne doi *a* fin d'amours penser. Id. 20. — Il covient mult penser *a* si grant chose. Villeh. 19. — Il pensa tant *a* Nicolete sa douée amie. Aucassin, 24, 8.

Quare non immerito dicam ex adtributione locali iam transisse praepositionem ad varias relationes, quas Latini plus minus dativo casu signaverunt.

II.

Res autem multo fit illustrior, si ad verba accedas dandi et tradendi, dicendi et orandi : quorum quidem frequentissimi sunt usus et ad localem quoque adtributionem quodam modo referendi, nam post ea necesse est ita subaudias motum ut ad alium ab aliquo aliquid vel reapse vel figurate transferatur. Igitur hic visum est data exempla in duas classes intercedentibus etiam aliis partitionibus distribuere : quarum prior spectabit ad verba quae adtributio-

nem reapse factam declarant, altera vero ad ea quibus figurate tantum indicatur.

A. *Verba dandi et tradendi.*

Multum abest profecto quin post ea saeculis linguae vel florentissimis fuerit insolens particulae *ad* usus, ea tamen lege ut Latini dativum casum anteponere viderentur. Recentiores grammatici subtile sensus discrimen inter *dare alicui litteras* et *dare litteras ad aliquem* intercidere voluerunt, quasi hinc longior, illinc translatio propinquior notaretur (1) : revera sunt vicini sensus et nimia apud optimos auctores confusione non semel laborant. Satis ergo sit exempla tantum nonnulla antiqua praepositionis pro dativo proferre: *Ad* praetores et consules vinum honorarium dabant. Cat. orat. 56.— Interea *ad* socios nostros sedulo dispertieram alio frumentum,·alio legatos, alio litteras, alio praesidium usquequaque. Id. ib. 1, 21.— Hunc *ad* carnuficem dabo. Plaut. Capt. 1019. — Me haec deambulatio *ad* languorem dedit. Ter. Heaut. 807.— *Ad* sepulturam corpus datum. Cic. Phil. 2, 7. — *Ad* propinquos restituit. Liv. 2, 13. — Restituti *ad* Romanos. Id. 24, 47. —*Ad* Q. Fulvium dediderunt sese. Id. 27. 15. — Deditio *ad* Romanos. Id. 8, 25. —*Ad* sororem Medeam est commendatus. Hygin. fab. 3. — Philomelam mandat *ad* Lynceum regem. Id. ib. 45. — Commendavit eum *ad* Lycomedem regem. Id. ib. 96. — Obtulimus quia nos *ad* prima pericula. Ovid. met. 13, 42 (2).

Si vero ex auctoribus classicis infimam latinitatem et merovingicam adtigeris, observandum erit usum antiquis temporibus forte vulgarem postea quasi novam syntaxeos legem viguisse, vi casuum magis ac magis obsolescente. Quare deprompta e Merovingicis specimina, utpote numerosiora, distribuantur in quasdam classes.

a) *Ad* post verba *dare, tradere, linquere, credere,* etc. : *Ad* manes funera acerba dedit. Aus. 15. Parent. 31, 6.— Si quidem *ad* solam hominum memoriam se perpetuandos crediderunt. Sulp. VMart. 1, 4. — Martyris *ad* tumulum debes et terra coronas. Paul. Nol. poem. 14, p. 113. — Datam sua confisos *ad* vota medelam. Id. ib.

---

(1) De quo cf. Madvig, *Gramm.*, § 242, rem. 3.
(2) Cf. praeterea Draeger, *Hist. Synt.*, t. I, p. 576.

18, p. 203. — *Ad* exsertum praebere cervices iussa mucronem. Sidon. ep. 1, 11, p. 31. — Eam *ad* filium Sygiberthi tradere distinat. Greg. Tur. HF. 5, 47. — Multum pecuniae *ad* basilicam sancti Martini vovit. Id. ib. 10, 11. — Ut cellulam... *ad* opus orationis fideliter dedicarem. Id. GC. 20. — Domum Dei reliquid *ad* cultum eius, cuius prius fuerat nomine consecrata. Id. GM. 47. — Qui se *ad* Chlotharium tradiderant. Fredeg. 20. — Eo anno Chramnus filius Chlothacarii regis, sollicitante Childeberto patruo suo, *ad* ipsum latebram dedit. Mar. Av. p. 16, E. — Optassemus etiam *ad* filium vestrum, gloriosissimum ac fidelissimum principem, super eadem causa litteras dare. CAG. ep. Episc. Gall. ad Leonem Papam, a. 451, p. 94. — Quingentos solidos in luminaria *ad* basilicas Metenses delegavit. Desid. ep. 2, 13. — Offerens quingentos solidos *ad* abbatem. VEuphr. 10. — Multam pecuniam *ad* pauperes erogans non cessabat. Ib. 1. — Porcionem meam *ad* iam dictas basilecas cum omni solidetate habendum et possedendum relinco. ChM. 413, a 690, p. 211. — *Ad* Deo timentebus conlatum fuerit. Ib. 435, a. 696, p. 235. — *Ad* vassos nostros beneficiatum habui. Ib. 544, a. 728, p. 357. — Si *ad* loca sanctorum oportuna beneficia concedimus. Dipl. Reg. 3, a. 528, p. 5, 33. — Donamus *ad* sanctam matrem aecclesiam Parisiacam. Ib. p. 6, 1. — Quando filiam suam *ad* marito donat. LSal. 2, 69 (1). — Praeceptionem *ad* vos dedimus. LBurg. G. 108. — Reddat eam *ad* illum monasterium unde eam tulit. LBai. 1, 11. — Si quis liber res suas vel semetipsum *ad* ecclesiam tradere voluerit. LAlam. 1, 1, 1. — Reddant *ad* ecclesiam. Ib. 1, 23, 1. — Wadium suum donet *ad* misso comiti vel ad illo centenario. Ib. 1, 36, 3. — Omnes res eius *ad* parentes reddantur. Ib. pact. 3, 1. — Dedi ei *ad* ipso illo soledus tantus. Form. And. 44, p. 19, 30. — Quia ipsa vinia *ad* eos dedissi. Ib. 47, p. 21, 12. — Dono donatum *ad* dulcissimo filio meo. Form. SB. 12, p. 232, 24. — Hoc *ad* ipsae basilicam sancti illius pro anime nostrae remedio donavimus atque transfundimus. Form. SM. 1, p. 241, 15. — Vobis vel *ad* ipsa basilicae trado adque transfundo. Ib. 9, p. 244, 27. — *Ad* loca ecclesiarum probamus esse indultum. Form. Marc. 1, 4, p. 44, 9. — In pauperaes dispensare aut *ad* vassos vestros. Ib. 2, 17, p. 87, 28. —

---

(1) De quo dicendi genere, cf. etiam Pott, *Plattlateinisch und Romanisch*, p. 345 (ap. Kuhn's *Zeitschrift für Sprachvergleichung*, t. I).

Ad ipso servicio sancto illo ibi se in praesente recredidit. Form. SB. 7, p. 230, 24. — Servus postea *ad* supplicia maioribus similiter datur. LSal. 3, 40, 3.— Servum ligatum *ad* suppliciis praesentare. Ib. 1, 40, 10. — Partem quae *ad* suam ecclesiam data est suscipiens. Eginh. VK. 33, p. 102, C. — Res quas memorati duces *ad* iam dictum monasterium dederunt. Form. Imp. 16, p. 297, 36. — De rebus *ad* casas Dei traditis. Capit. KC. a. 865, p. 502, 29.

b) *Ad* post verba *solvere, vendere:* Persolvat *ad* ecclesiam censum de illa terra. LAlam. 1, 2, 1. — Solvat *ad* ecclesiam ubi servit aut *ad* episcopum. lb. 1, 12, 2. — Vindedi *ad* venerabile fratri illa viniola. Form. And. 4, p. 6, 13. — Vindedi *ad* illo campello ferente modius tantus. Ib. 21, p. 11, 18. — *Ad* homine... venumdare. Ib. 49, p. 21, 29. — Vobis vel *ad* monasterio vestro vindere. Form. SB. 20, p. 235, 25. — Homicidium *ad* ipsos parentes legibus transsolvere. Ib. 8, p. 231, 5. — Constat me vobis vel *ad* ipsa basilicae vendidisse. Form. SM. 9, p. 244, 20. — Venditionem legitima *ad* memoratum emptore fieri et firmare rogavi. Ib. 11, p. 245, 28. — Censa de rebus ecclesiasticis *ad* ecclesias persolvere. Capit. KC. a. 853, p. 424, 22.

c) *Ad* post verba *facere, firmare, roborare:* Quod ipse princeps integram emunitatem *ad* ipsum monasterium fecisset. Dipl. Reg. 55, a. 683, p. 49, 41. — Vel *ad* agentes suos nulla refragatione nec nullo impedimentum facere non praesumatis. Ib. 75, a. 706, p. 67, 11. — Illa immunitas, quae antea *ad* ipsam casam Dei facta fuit. Dipl. Mai. 17, a. 743, p. 104, 9. — Chartam... quam Bethta *ad* ipsos infantes suos fecerat. ChM. 179, a. 572, p. 135. — Per cartam de rebus suis *ad* ecclesiam, ubi dare voluerit, firmitatem faciat. LAlam. 1, 1, 1. — Fatiamus bonum *ad* omnes, maxime autem *ad* domesticos fidei vel *ad* propinquos nostros. Form. SB. 17, p. 234, 29. — Quicumquae *ad* latruncolus... damnum pertullerit. Form. And. 32, p. 14, 24. — Quicquid eorum legitimum esset, *ad* ipso sancto loco firmaverunt. Dipl. Reg. 56, a. 687, p. 50, 45. — Quicquid... *ad* iam dictam basilicam sancti illius plenius roboravimus. Form. SM. 2, p. 241, 32. — Civitatum *ad* quas eadem eleemosyna sive largitio facienda est. Eginh. VK. 33, p. 102, C.

d) Denique nonnullis exemplis commonstrandum est quo simillimo modo praepositio nostra gallica *à* post praedicta verba dandi et tradendi vices dativi latini exhibeat : *Al* tradetur baisair doned.

Passion, 37. — Vida perdonent *al* ladrun. Ib. 56. — *A* lui medisme ont l'almosne donede. Alexis, 24. — Mais *as* plus povres le donet. Ib. 51. — S'ad *a* Deu comandet. Ib. 58. — *A* eles dous dunrai seignurs. Brut, 1794. — Si voz vendi *a* la gent mescreant. Amis, 1295. — Et paieroie le costement *as* Venisiens. Villeh. 195. — Il paierent de la lor partie cinquante mil mars d'argent *as* Veniciens. Id. 254. — Li cuens de Champaigne vendi *au* roi. Joinv. 87. — Venderoient *aus* Beduyns. Id. 318. — Or faitez bien *as* nouviaus chevaliers. Amis, 261. — Le servise que nos avons fait *a* ton fil. Villeh. 187.

B. *Verba dicendi et orandi.*

Si vero figurate fiat translatio ita ut rem aliquis dicat alteri vel fundat orationem, vix in bona ac mera latinitate occurrunt usus praepositionis, nam minime hic rationem habere possis locutionis Ciceronianae *dicere ad populum,* quae explicari debeat in *dicere apud, ante populum.* Reperire est tamen post *nuntiare* verbum : Quae *ad* patrem vis nuntiari. Plaut. Capt. 360.— Quae Tantalus *ad* homines renunciavit. Hygin. fab. 82. Ubi accesseris ad ecclesiasticam latinitatem, usus multo frequentior ut in his ex Hieronymo depromptis : Dominus loquitur *ad* Ieremiam. Hieron. ep. 122, 5. — Loquebatur *ad* Dominum. Id. ib. 130, 4. — *Ad* Apostolos dictum est. Id. VHilar. 40.

a) Praevalet autem aetate merovingica haec construendi ratio pro dativo casu vel accusativo, pro praepositione etiam *cum* post verba *dicere, loqui, orare, supplicare* aliaque huiuscemodi : *Ad* famulos nunquam tristia verba loqui. Aus. 16. Prof. 4, 12. — Quod iuravit *ad* Abraham patrem nostrum. Prosp. de Grat. 6. — Loquitur *ad* Abraham dominus. Salv. de Gub. 1, 35. — Dominus *ad* Moysen dicit. Greg. Tur. HF. 1, 10. — Dum adtentius oraret *ad* Dominum. Id. ib. 6, 24. — Vociferant *ad* abbatem. Id. GM. 9. — Oret pro me sacerdos *ad* Dominum. Id. ib. 78. — Audivit unum de egenis loquentem *ad* alium. Id. ib. 44. — Dicit *ad* eam Augusta. Fredeg. 9. — Dicit *ad* eos Caesare. Id. ib. — Dixit *ad* regem. Id. 51. — Dixit pater puelle *ad* abbatem. VEuphr. 4. — Dixit pater puelle *ad* abatti. Ib. 4. — Dixitque illi *ad* abbatem. Ib. 10. — Valedixit *ad* abbatem et omnes servos Dei. Ib. 15. — Ait *ad* reginam et *ad* populum suum. GRF. 17, p. 553, E. — *Ad* te... depraecor. Greg. Tur. HF. 2, 3.

— *Ad* ipsa congregatione supplico. ChM. 344, a. 662, p. 124. — Preco adque subplico *ad* successores nostros. Form. SB. 11, p. 232, 15.

b) Insolentiorem vero usum arbitror, quem non apud Gallo-Romanos scriptores sed apud Merovingicos tantum reperire est et in ceteris aevi documentis ; quo quidem ponitur praepositio *ad* post verbum *petere* interrogationem signans et alia eiusdem modi pro praepositionibus *a, ab, e, ex,* quae Latinis in his locis usitatae. Illud tamen rationaliter explicari posse mihi videtur, si adtenderis Latinos post haec verba motum signasse ab eo qui interrogatur ad interrogantem quasi repercussa vice redundantem; ita vero periisse in infima latinitate subtilius hoc syntaxeos discrimen ut rectam movendi rationem ad eum qui interrogatur indicaverint, et verba *petere, quaerere, exigere,* ceteraque verbis *dicere* aut *loqui* adsimilaverint. Inter duos autem usus intercedunt exempla dativi casus, ut decet, verbis petendi et exigendi adtributi : Tibi quaero, haeretice. Hilar. de Trin. 6, 25. — Nobis postulavit. ChM. 111, a. 528, p. 75. — Petiit nobis. Form. SB. 16, p. 234, 18. — Petiit celsitudine nostrae. Form. Marc. 1, 16, p. 53, 27. — Peto et subplico caritati tuae. Ib. 2, 38, p. 98, 2. — Postulavit nobis. Form. Imp. 18, p. 299, 18 (1).

Accedant nunc exempla quae ad praepositionem *ad* referuntur : Petit *ad* te. Greg. Tur. HF. 6, 31, B2. — Quae humiliter *ad* Dei misericordiam flagitabat. Id. ib. 2, 5. — Petierunt *ad* Dominum, ut eos ab hoc periculo dignaretur eruere. Id. GM. 94. — Quae petisset *ad* Dominum obtenebat. Id. VP. 4, 4. — *Ad* beatissimum virum... rogavit. Fortun. VSAm. 5. — Petiit *ad* ipsos bonis hominibus. Form. And. 31, p. 14, 19. — Petiat *ad* ipsius vicinus. Ib. 33, p. 15, 35. — Repetebat *ad* eum. Form. SM. 30, p. 252, 33. — *Ad* mea parvitate expetivit. Cart. Sen. 49, p. 206, 32. — Interrogatum fuit *ad* ipsos viros. Ib. 11, p. 189, 21. — Nobis unctionem impetres *ad* Dominum. Pr. Nich. 18. — *Ad* monachos aut missos vel discursores ipsius monasterii exigere. Dipl. Reg. 38, a. 660, p. 35, 18. — Nullus teleneus *ad* ipsus homenis negociantes de ipsa vice non exigintur. Ib. 77, a. 710, p. 68, 42. — Capitalem exegat *ad* latronem. Capit. M. 3, a. 511-58, p. 6, 3. — Si maior culpa fuerit quod *ad* servo requiratur. LSal. 3, 40, 12. — *Ad* dominum servi ipsius nihil quaeratur. LBurg. G. 91, 2. — Nihil penitus *ad* mulierem illam de

(1) Cf. insuper exempla quae proposuit Diez, *Gramm.*, p. 859.

tali causa quaeratur. Ib. 107, 4. — *Ad* posteritate ipsorum non requiratur. Form. Bit. 9, p. 172, 23. — Illi *ad* nos quaesierint. Capit. KC. a. 857, p. 456, 8. — *Ad* nos inde reclamaverint. Ib. a. 869, p. 510, 7.

c) Ad similitudinem prorsus in antiquissimis gallicae linguae documentis occurrit pro dativo praepositio : 1° post verba dicendi : *A* cel populum ço dicit. Jonas, v°, 10. — *Ad* un respondre non denat. Passion, 54. — Si parlet *a* las femnes. Ib. 101.— Parler *al* servitor. Alexis, 34. — E dist *al* rei. Rol. 27. — Dist *a* ses humes. Ib. 79. — Lors parla li dux *a* sa gent. Villeh. 62. — Respondirent *as* messages. Id. 72. 2° post verba rogandi et quaerendi : Rogat deus *ad* un verme. Jonas, v° 14. — Fortment l'enquiert *a* toz ses menestrels. Alexis, 65. — Conseil sui venus *a* vos querre. Renart, 5, 981. — J'alasse demander *a* ma dame congié. Couci, 24. — Coument querreiz *a* Dieu merci. Ruteb. 1, p. 61. — Ains demanda *au* conte d'Anjou. Joinv. 424.

III.

Nunc inter proximi quoque generis usus adnumerandi sunt quaestus quos fecit praepositio in infimae aetatis sermone saepius adhibita post intransitiva verba pro dativo Latinorum. Nempe notabile est, obliterata magis ac magis vi casuum peculiari, relationem rerum vel eventuum ad quandam personam post ea verba non bene iam nisi intercidente *ad* copula signari potuisse. Hic adtributio per se fit et interdum ut perpetua declaratur, exclusa notione translationis ex altera persona provenientis. Praepositio igitur vices dativi casus quam maxime implet et etiam excedit quadantenus, cum vel ad possessionem indicandam non ambigua ratione accommodetur. Ea vero dicendi genera adeo viguisse videntur in vulgari Galliae latinitate, ut ad omnia ferme verba referrentur quibus Romani dativum casum adiunxerunt : rem coicere oportet e scriptorum documentorum exemplis, quamvis non sint prorsus numerosiora et consuetudinem interdum prodant potius quam aperte profiteantur.

a) Hic quoque initium sumere licet ex usu qui vel optimorum auctorum syntaxi non est dissentaneus, scilicet ex adtributione quae vigente motus et directionis notione per praepositionem fit post intransitiva verba *spectare, pertinere, adtinere.* De quibus nihil

disseram, cum construendi rationem per se notissimam resumere sit supervacuum. Observemus tantum Latinos pro dativo saepius usos esse particula iterata vel cum verbis quibus inest iam loquelaris, signantibus videlicet adtributionem e locali positione provenientem, velut *adiacere* : Regionem quae *ad* Aduatucos adiacet. Caes. BG. 6, 33. — Urbes *ad* Syrtim adiacent. Pomp. Mel. 1, 7.

Adde autem apud Merovingicos verba *aspicere, adiungere*, aliaque eiusdem generis, quae neutrali modo frequentissime in Chartis ponuntur. Pauca equidem specimina dabo, cum adtineant verba ad pragmaticas formulas, et vix adserventur in romanica lingua, si ad aetatem antiquissimam spectes : Cum insulis que *ad* ipsum fiscum adiacent. Dipl. Reg. 5, a. 556, p. 7, 38. — Quicquid *ad* ipso maso aspicit. Form. SB. 10, p. 232, 5. — Quicquid *ad* ipso manso aspicet. Cart. Sen. 8, p. 188, 26. — Terra arabili *ad* ipso manso aspiciente. Form. SL. 8, p. 272, 20. — Presbyteratus qui *ad* illum Episcopatum legibus obtingunt. CAG. conc. Vernense, a. 755, can. 21, p. 33. — Viniola seu prata quae sunt ad Riulione, et adiungunt *ad* vineas sanctae ecclesiae. TBert. p. 257, 2. — Cum omni adiacentia *ad* ipso locello. Form. Marc. 2, 36, p. 97, 3. — Cum omnibus *ad* se iuste et legaliter moderno tempore pertinentibus vel aspicientibus. Form. Imp. 11, p. 294, 24. De verbo quidem *pertinere*, eadem iam apud Latinos constructione usitatissimo, supervacuum sit exempla proferre cum prope videantur innumerabilia in Chartis vel Legibus barbaris (1). Etiam si verbo praepositio loquelaris insit : Quantum *ad* me adpertenit. ChM. 580, a. 744, p. 393. — Quantum *ad* ipsum adpertenit. Id. ib. Inde quoque gallica nostra structura : *appartenir à*.

b) In supra datis exemplis notio translationis vel adtributionis localis perspicue satis viget. Decrescit autem paulatim si ad verbum *prodesse* transeas, quod intercidente utilitatis notione adtributionem rei ad aliquem vel ad aliquid signare potest, quodque ex alia parte apud Latinos cum dativo semper casu constructum reperias : Qui nec sibi nec alteri prosunt. Cic. de off. 2, 10. — Nihil tibi litterae meae proderunt. Id. ad fam. 2, 17. — Si nil prodestis amanti. Tibull. 2, 4, 15. Observandum erit vicinum verbum *proficere* vulgari usu pro *prodesse* plerumque adhiberi, et particulam in locum

(1) De quo cf. ceterum Roensch, *Itala und Vulgata*, p. 375.

dativi casus supponi. Iam apud Latinos : Axongia proficit *ad* strumas. Plin. 28, 9. Apud Merovingicos: Sermo autem Dei, etiamsi *ad* opinionem religiosae intellegentiae proficit. Hilar. de Trin. 1, 6. — *Ad* interiora viscera poterit prodesse. Anthim. 14. — Facit enim oriza et *ad* disentericos. Id. 70. — Villa Napsianicus *ad* ipso sancto loco perenniter proficiat in augimentis. Dipl. Reg. 67, a. 695, p. 60, 28. — *Ad* ipsum sanctum locum vel *ad* monachulos suos, qui ibidem deservire videntur, perhenniter proficiant ad augmentum. Ib. 33, a. 657, p. 32, 17. — Quod superest *ad* ipsos pauperes vel inopes ipsius basilicae proficiat. TBert. p. 259, 2. Inde simillima ratione, sed paulo serius in nostra lingua, utpote quae e nomine *profit* (= profectum) verbum suum *profiter* duxerit : Celui qui est illiberal ne profette *a* nul, non pas *a* lui meismes. Oresme, Eth. 109.

c) Nec dubie vices dativi casus praepositio supplere videtur tum post verba *manere*, *restare*, tum post impersonalia. Processum enim syntaxeos hunc fuisse dicam ut post ea verba relatio adtributionis dativo tantum casu signaretur, sed obliterata vi casuum non fieri iam potuit quin iisdem adiungeretur particula *ad*. Adhibitam enim, quanquam rarius, in scriptis monumentis notare possumus : Restiterunt duae tribus *ad* Roboam. Greg. Tur. HF. 1, 14. — *Ad* me restitit omne regnum. Id. ib. 5, 39. — Proprietas de ipsas res *ad* illam ecclesiam in perpetuo maneat. LAlam. 1, 1, 1. — *Ad* sapientissimum sufficit. Cart. Sen. 27, p. 197, 14. — *Ad* tua falsatura talis decet corona. Form. rhythm. 4, p. 226, 2. — Non pigeat *ad* regem. Dipl. Reg. 7, a. 584, p. 10, 10. — Liceat *ad* illam mulierem iurare per pectus suum. LAlam. 1, 56, 2. Si vero ad repercussam in romanica nostra lingua structuram spectemus : *A* cuy il loist. SBern. p. 566. — *A* cui toutes choses loisent. Job, p. 466. Saepius etiam cum verbo substantivo *estre* ita notatur adtributio : Mult fu granz domages *a* l'ost. Villeh. 110. — Granz duels fu *a* tote la crestienté. Id. 318.

Immo vel post verbum *videri*, vel post gerundia et gerundiva, praepositio in infima latinitate deturbat casum dativum, quem his locis adhibuerunt Romani scriptores. Iam reperias apud Patres ecclesiasticos : *Ad* te, Domine, levanda erat et curanda. Augustin. confess. 4, 7. Apud Merovingicos : Ne videamini *ad* hunc adripiendi vel definiendi ambiguetate peccasse. Avit. ep. 18, p. 52, 5. — Visum fuit *ad* ipso. Form. And. 24, p. 12, 18. — Visum est *ad* ipsis. Ib.

50, p. 22, 11. — Diligendo *ad* nos domno et in Christo patri nostro. Form. SB. 24, p. 237, 2. — *Ad* ipsa sancta basilica praecipio possidendum. TBert. p. 260, 2. — Tunc ad pacis concordiae sine ullo cupiditatis crimine pontefex Carnotensis *ad* ipso abbate vel sua congregatione invitandus sit. ChM. 435, a. 696, p. 235. Inde quoque post passivum *possideri* : Sicut acto tempore *ad* fiscum fuit possessum. ChM. 358, a. 667, p. 144. — Totum et ad integrum... *ad* ipsa sancta basilica in Dei nomine possidetur. TBert. p. 258, 1. — Sicut *ad* ipso Baudeghiselo possessum fuit. Ib. p. 261, 1.

d) Ad ea quae de possessione per adtributionem noto referenda etiam videtur structura, cuius exempla vel in deterrimis aevi Merovingici instrumentis pauciora occurrunt, quae tamen ita praevaluit ut ad veterem romanicam syntaxin ordinandam non parvo fuerit momento. Structuram dico qua praepositio *ad* inter duo nomina posita possessionis relationem perspicuam signat et vim prope habet genetivi coniunctivi. Creberrimos dumtaxat fuisse usus in vulgari sermone suspicari licet, sed prodeunt, ut dixi, rarius apud scripta documenta, nam haec tantum specimina colligere potui : Hic requiiscunt menbra *ad* duus fratres Gallo et Fidencio. ICG. 378, Briord, s. VI. — Incipientes antiphonam procedunt in cellam *ad* sancto Salvatore. Sturm. p. 1260, C. — Iuxta vineas *ad* heredes Attone quondam, usque ad vineas domni Germani. ChM. 363, a. 670, p. 152. — Nam terra *ad* illo homine numquam fossadasset. Form. And. 28, p. 13, 19. — Ancilla *ad* illo. Ib. 45, p. 20, 9. Neminem vero fugit in gallica lingua saepe simillimo modo possessionem praepositione *à* declarari : Filie *ad* un comte de Rome. Alexis, 9. — La nef *a* cel saint home. Ib. 40. — Les filz *as* cunturs. Rol. 850. — Fiz *a* la bonuréé Anne. Rois, p. 7. — Arche *al* deu de Israel. Ib. p. 18. — La tors *as* puceles. Floire, 1896. — Fille estoit *au* roi d'Alemaigne. Ib. 2358. — Corz *a* riche prince. Villeh. 212.

Quare igitur si breviter quae modo exposui contrahere velim, vere dici potest e locali relatione, adiuncta primum movendi notione, praepositionem *ad* paulatim omnes dativi adtributionis partes amplexam esse. Signatur enim haec adtributio, sive aliquis ad locum deputetur vel statui adhaereat ; signatur si res ab aliquo ad alterum tradatur vel reapse vel figurate ; si denique post intransitiva verba quasi perpetua interdum denotetur, etiam post substan-

tiva nomina, ita ut genetivi quoque casus vim aliquatenus particula usurpare videatur. Prodeunt haec omnia in Merovingica latinitate, sed confuse permixta cum usibus obliteratis : revera non addubitari potest quin septimo iam et octavo saeculo in cotidiano dicendi genere ad praecipuas dativi relationes praepositio *ad* constanter deputata fuerit.

CAPVT III.

DE PRAEPOSITIONE *AD* RELATIONEM FINALEM SIGNANTE.

Si ad genuinam particulae *ad* vim spectes, non mirum videbitur hanc finali circumscriptioni inservire: sensus sunt proximi. Nempe finis rei potest terminus dici ad quem res illa tendit. Nobis huc usque motus occurrit veluti accessio e loco ad alium, sive id fieret per translationem rectam, sive per adtributionem rei ad aliam. Dico autem vicinam huic addi notionem, quotiens cui accesseris punctum ita finale sit ut in se movendi causam contineat. Inde sequitur ut legitima usus prorogatione intercidat copula *ad* inter verbum quo motus notatur et verbum quod movendi terminum simul ac finem designat.

Cum vero praepositio apud Latinos vim finalem tum per se solam habuerit, tum praesertim accedente gerundio vel gerundivo; cum ex altera parte hanc significationem et retinuerit infima latinitas et ad novos usus sermo vulgaris eosdemque dignissimos qui bonam in lucem ponantur extenderit, non locus ille incohatae commentationis nisi distinctionibus et crebris exemplis absolvi possit.

I.

a) Dicam inprimis de particula finali si substantivum nomen tantum insequatur. Fuit enim apud auctores Latinos florentissimae linguae tempore usitatum sive post movendi, sive post alia quaelibet verba, notare praepositione *ad* rei terminum in quo continetur finalis notio : Atque *ad* volupatem omnia. Enn. trag. 419. — *Ad* hanc te amentiam natura peperit, voluntas exercuit, fortuna servavit. Cic. Catil. 1, 10. — Quibus *ad* pugnam non multum confidebat. Caes. BG. 3, 25. — Ne nocturnis quidem temporibus *ad* laborem militum intermissis. Id. ib. 5, 11. — Corrupto *ad* omne facinus Nerone. Tac. hist. 1, 72. — *Ad* destinatam fraudium pedicam sermo-

nes conserentes. Apul. met. 5, 15. — Relictis somnolentis tenebris *ad* aliam poenalem evigila caliginem. Id. ib. 8, 12. Cum verbo *esse* substantivo : Quaeque oportet signa esse *ad* salutem. Ter. Andr. 482. — Rebus quae sunt *ad* incendia. Caes. BC. 3, 101. — Hoc est *ad* nostrum dolorem. Oros. hist. 7, 33, 17.

Quod si ad merovingicam inde latinitatem veniamus, eundem profecto praepositionis usum reperire est, sed ea lege ut sit frequentissimus in Patribus Gallicis, apud quos *ad* cum substantivo locutionem saepe valeat *ita ut* concurrente verbo ; apud scriptores vero sexti saeculi prope integer quoque adservetur, at in barbaris aevi posterioris documentis multo rarius occurrat, nisi plane disperierit. Adde apud Karolinos structuram retineri, sed imitatione potius classicorum. Quod profecto his exemplis puto probari posse : Subrepunt haeretici *ad* veritatis excidium. Hilar. de Trin. 9, 2. — Calceatis *ad* Euangelii cursum pedibus. Paul. Nol. ep. 28, 1. — Dilectione *ad* fidem innutritus sum. Id. ib. 3, 4. — Vix nascente *ad* iustitiam voluntate. Id. ib. 40, 6. — Quae *ad* pacem sunt de te. Id. ib. 11, 5. — Haec *ad* delicias sibi nos cantare iubebat. Id. poem. 9, 12. — Usus *ad* insidias aut igni aut fonte calenti. Cl. Mar. in Gen. 3, p. 959, B. — Ut rabies humano saeviat ore armata *ad* proprios alieno dente furores. Paul. Petr. VSMart. 2, p. 1027, B. — Egressi sunt *ad* bellum. Greg. Tur. HF. 3, 4. — Distulit *ad* orationem in loco discendere. Id. GC. 8. — Iam enim *ad* ipsam febrem, exinde licet parum proficisset, multum tamen expenderat. Id. VM. 2, 32. — Inquisitus a pontifice cur tantum locutus sit *ad* iniuriam sacerdotis. Fortun. VSGerm. 21. — Quisquis... in domum cuiuslibet *ad* rixam ingressus fuerit. LBurg. G. 15, 1. — Petiit nobis, ut ad basilica sancto Petro... valeat ambulare *ad* oratione. Form. SB. 16, p. 234, 18. — Ut non sit *ad* gaudium, sed *ad* eius detrimentum. Form. And. 49, p. 22, 2. — *Ad* honorem nostrum ac populi nostri utilitatem administret. Capit. HL. a. 826, p. 310, 3. — *Ad* cuius structuram cum columnas et marmora aliunde habere non posset. Eginh. VK. 26, p. 99, C.

Neque omnino in veteri gallica lingua vim illam praepositionis per se finalis periisse dicam, quae satis in quibusdam locis declaratur, ut in his : Cel edre li donat *a* sun soueir et *a* sun repausement. Jonas, v°, 12. — Qui por lui ert *a* grant paor. Brut, 14734. — *A* cel message fu esliz li cuens Hues. Villeh. 53. Cum rariora tamen

occurrant exempla, arbitror finalem notitiam aliis praepositionibus, inter quas *pour (= pro)*, potius signatam esse. Inservit quidem particula *à* constructionibus quae finem quoque denotant, sed minus latinam structuram referunt quam si ad damna dativi casus resarcienda spectaveris.

b) Praepositio *ad* enim in infima latinitate pro dativo, qui dicitur commodi et incommodi (1), interdum ponitur et personam signat in cuius finem fit aliquid : Est enim omnes populus infidelis, periuriis deditus, furtis obnoxius, in homicidiis prumptus, *ad* quibus nullus iustitiae fructus nullatenus crescit. Greg. Tur. HF. 6, 6. — Maneat quicquid antefati viri Dei *ad* nostro monasterio conquesierint vel laboraverint. Dipl. Reg. 95, a. 727, p. 85, 35. Multo tamen frequentius pro dativo commodi et incommodi adhibitam in latinitate merovingica vel karolina locutionem redundantem *ad opus* reperias, ut in his : Ipse pontifex domnus Amandus *ad opus* monachorum suorum absque ulla contradictione vel diminoratione teneat ac possideat. Dipl. Reg. 25, a. 661, p. 25, 36. — Per quem accepit venerabilis vir ille abba *ad opus* monasterio suo. Form. SB. 15, p. 234, 1. — Quindecim solidos conponat *ad opus* regis. Capit. KM. a. 794, p. 74, 35. — Arma mea quae *ad* meum *opus* habeo. HLang. 24, a. 813, p. 82. — Ubi *ad opus* nostrum decima exigitur. Form. Imp. 37, p. 315, 15. Quae quidem formula adeo praevaluisse vel in cotidiano sermone videtur, ut gallicam *ad oes* in veteribus monumentis ad similitudinem inveniamus : *Ad oes* seint Pierre en cunquist le chevage. Rol. 373. — *Ad oes* Carlun si granz païs cunquis. Ib. 1859. — Receif ci treis muis de flur *al oes* tes freres. Rois, p. 63. — Si ne me veult *a* son *eus* retenir. Couci, Bartsch, p. 242, 20. — Fai *a* tun *oues* le pain garder. Marie de Fr. 2, 154.

c) Sed praepositio *ad* praesertim quasi dativi finalis supplementum haberi potest, unde probatur etiam quam lato usu vim amissi casus redintegraverit. Dativo enim Latini utuntur cum multis verbis statum vel adtributionem declarantibus, quotiens subauditur eiusmodi notio : quo tendit ? quo spectat ? ut in his : Nemini meus adventus labori aut sumptui fuit. Cic. Verr. 2, 1, 6. — Habere religioni. Id. de divin. 1, 35. — Vitio et culpae dedisti. Id. pro Rosc. 16. — Quod illi tribuebatur ignaviae. Id. ad fam. 2, 16, 3. — Neque hoc illi

(1) De quo cf. Madvig, *Gramm.*, § 241 ; Draeger, *Hist. Synt.*, t. I, p. 431.

quisquam tribuebat superbiae. Nep. Timol. 4. — Sibi domicilio locum delegerunt. Caes. BG. 2, 29 (1). Haec autem finalis relatio in infima aevi merovingici latinitate non bene iam signari potuit nisi intercidente *ad* copula cum verbis tum transitivis et activis *habere, putare, tenere, capere, dare*; tum intransitivis et passivis *esse, haberi, fieri, videri, putari, crescere, manere,* aliisque huiuscemodi (2). Quorum quidem usus locupletissimos in duas classes distribuam :

1° Verba transitiva et activa : Illud *ad* putredinem computamus, nam non *ad* maturitatem. Anthim. 85. — Sibi factum *ad* verecundiam reputans. Greg. Tur. GC. 1. — Cellulam valde elegantem, quam sanctus Eufronius *ad* usum prumptuarii habuerat. Id. ib. 20. — Ipsa vix Roma tantum mihi dare *ad* auxilia poterat. Fortun. carm. 3, 4, 10. — Si quis clericus pecuniam dederit *ad* usuram. CAG. conc. Arelatense 2, a. 452, can. 14, p. 105. — *Ad* usofructo vise summus tenire. ChM. 492, a. 715, p. 300. — *Ad* usufructuario possidemus. TBert. p. 258, 2. — Quicquid mihi comparavi, aut meo opere *ad* mancipia stabilivi. Ib. p. 256, 1. — *Ad* husumfructuario ad possediendum. Form. And. 40, p. 18, 1. — Quasi vineas suas, quae erunt illius, condam illi *ad* parciaricias ei dedissit. Ib. 30, p. 14, 3. — Hoc dedit illi *ad* racione illo campo ferente modius tantus. Ib. 8, p. 7, 19. — Libera de argento de rebus vestris nobis *ad* beneficium praestetistis. Form. Marc. 2, 25, p. 92, 14. — Conavi et ipsa terra *ad* proprietate sacire. Ib. 2, 41, p. 100, 19. — Si quis ad pastorem ecclesiae *ad* beneficium susceperit. LAlam. 1, 2, 1. — Si quis oves *ad* pignus contra legem tulerit. LBai. 13, 5. — Rex michi eas dedit *ad* beneftio. HLang. 6, a. 782, p. 48. — Interdictum est *ad* usuram aliquid dare. Capit. KM. a. 789, p. 54, 27 (3).

2° Verba intransitiva et passiva : Dum ea ei *ad* irreligiositatem ingeruntur. Hilar. de Trin. 7, 3. — Repensanda illis egestate praesenti opibus aeternis, redundet illorum abundantia *ad* inopiam

(1) De quo insuper cf. Madvig, *Gramm.*, § 249; Draeger, *Hist. Synt.*, t. I, p. 437.

(2) Cf. Diez, *Gramm.*, p. 878.

(3) His autem causalibus designationibus praesertim indicando pretio saepissime accommodatur praepositio *in* apud Merovingicos : Accepi a vobis *in* precio. Form. Marc. 2, 19, p. 89, 17. — Ib. 2, 20, p. 90, 6. — Accepi a vobis *in* pretium. Ib. 2, 21, p. 90, 16. — *In* conpenso dedit ille illius alio campo. Ib. 2, 24, p. 92, 2. — Quod *in* concamio bone pacis placuit accepisse. Ib. 1, 30, p. 61, 19.

nostram. Paul. Nol. ep. 32, 21. — Haec minuta sacri ligni *ad* magnam fidei et benedictionis gratiam haberi datur. Id. ib. 31, 6. — Confitentis humilitas crescit *ad* meritum. Avit. ep. 14, p. 47, 4. — Abraham quod solo credidit Deo, reputatum est illi *ad* iustitiam. Id. ib. 4, p. 31, 23. — Nobis etiam post mortem gravandis *ad* peccatum reputabitur quicquid fuerit perpessa posteritas. Id. ib. 7, p. 36, 10. — Cui minus computandum est *ad* utilitatem parenti proprio restitui. Id. ib. 46, p. 76, 26. — Nam quod *ad* ornatum potuit muliebre videri, ecclesiis prompte pauperibusque dedit. Fortun. carm. 4, 26, 71. — Illud nobis *ad* stabilitatem regni nostri Deo auxiliante provenire credimus. Dipl. Reg. 27, a. 664, p. 26, 33. — Illud *ad* stabilitatem regni vel remedium animae nostrae perdurare credimus. Ib. 44, a. 675, p. 41, 31. — *Ad* memoriam eternam et iusticia repotitur. Form. And. 46, p. 20, 24. — Quae nobis maneant *ad* mercedem. Form. Marc. 1, 1, p. 39, 8. — Haec aqua Domini fiat tibi *ad* probationem hodie. Form. exorc. 2, p. 642.

d) Huc immo quasi vicinam arbitror esse referendam verborum quandam conformationem quae ab usu latino valde abhorreat, sed postea in lingua nostra romanica frequentius usurpata sit. Nempe cum duo ita sunt inter se iuncta substantiva ut posterius praedicati vicem impleat, Latini casum duobus eundem imponebant : in merovingica autem latinitate, si praedicatum nomen vel minime finem indicet, illi praeponitur iam saepe *ad* particula utpote finalis. Inde fit ut pereat illa quae apud recentiores grammaticos constructio per duos accusativos adpellatur, et rei nomen, in quam convertatur res altera, praepositione muniatur, nec iam *feminam habere uxorem* sed *habere ad uxorem* dicatur (1). Exempla quidem non apud scriptores qui latinae syntaxi plus minus adhaerent, sed tantum in infimae aetatis monumentis reperire est : Nullus laicus homo Deo sacratam feminam *ad* mulierem habeat. CAG. conc. Suessionense, a. 744, can. 9, p. 545. — Si dominus eius vult, velit nolit ipsam *ad* uxorem habebit. Ib. conc. Vermeriense, a. 752, can. 8, p. 3. — Beatus vir Dei ducebatur *ad* victimam. Act. Mart. pass. S. Symphoriani, 7, p. 82. — Parato *ad* victimam tauro. Ib. pass. S. Saturnini, 4, p. 131. — Portatus sum ut agnus innocens *ad* victimam. RLR. t. VII, p. 6. — Qualem plebs sibi recepit *ad*

(1) Cf. Diez, *Gramm.*, p. 878.

sacerdotem. LBai. 1, 9. — Si quis liberam feminam suaserit quasi *ad* coniugem. Ib. 8, 17. — Si quis filiam alterius non sponsatam acciperit sibi *ad* uxorem. LAlam. 54, 1. — Pipinus benedictus est *ad* regem. Ann. SGerm. a. 750, p. 3. — Ratger mira concordia est fratrum electus *ad* abbatem. Ann. Fuld. a. 802, p. 117. — Pipinus secundum morem Francorum electus est *ad* regem. ARF. p. 33, D.

Quam perspicue haec prodant vulgarem loquendi consuetudinem monstrabitur si nonnulla inde exempla decerpserim ex antiquis Galliae scriptoribus : Tien *ad* espos. Alexis, 14. — Ja me ravrez *a* cumpaignun. Gormund, 273. — Il l'ot armet *a* chevalier. Ib. 334. — E cil de France le cleiment *a* guarant. Rol. 1161. — Une seror avez, *a* moillier la demant. Rou, 2319. — Tut le plus prisié barun *a* seignur avras. Brut, 1738. — Sa fille *a* muillier voleit. Ib. 1841. — Icil fut *a* rei coronez. Beneoit, DN. 26145. — Puis l'espousa Rainouars *a* moillier. Aliscans, 3005. — Esclarmonde que il devoit *a* moillier espouser. Huon de B. 5640. — Vous elliroient *a* prieur ainz penthecouste ou *a* abe. Renart, 3, 312. — *A* chevalier l'unt adoubé. Marie de Fr. Yvain, 470. — Phelippe d'Alemaigne qui avoit sa seror *a* fame. Villeh. 70. — Il me recevront volentiers *a* seignor. Id. 276.

II.

Transeamus nunc ad usum praepositionis *ad* finem propositum declarantis insequente gerundio vel gerundivo : qui quidem apud Latinos eo sensu fuit particulae peculiaris usus et maximi momenti ad conformandam apte orationem.

a) Cuius ego structurae, etsi notissima sit, hic nonnulla tamen specimina proferam, nec erit profecto supervacuum observare hanc duobus iam in latinitate praecipuis effici modis, sive ex praepositione et gerundio concinnata locutio plus minus a verbo seiuncta per se vim propriam habeat et aperte declaret *ita ut* vel *ea ratione ut,* sive arctius interdum verbis cohaereat movendi et inter eadem ac gerundium *ad* copula iam aliquatenus videatur. Haec exempla sunto : *Ad* male faciendum viget. Enn. trag. 303. — *Ad* veterum rerum memoriam comprehendendam impulsi sumus. Cic. Brut. 5. — Cum duae sint in oratore laudes, una subtiliter disputandi,

ad docendum, altera graviter agendi, *ad* animos audientium permovendos. Id. ib. 23. — Palus Romanos *ad* insequendum tardabat. Caes. BG. 7, 26. — Ut ingratiis *ad* depugnandum omnes cogerentur. Nep. Them. 4. — Arcem sacerdotibus *ad* sacra procuranda tradunt. Id. ib. 2. — Quod societatem cum rege Perse *ad* Graeciam opprimendam fecisset. Id. ib. 8. — *Ad* capessendos magistratus in urbem digressus. Tac. Agr. 6. — Electus a Galba *ad* dona templorum recognoscenda. Id. ib. 6. — Qui *ad* tradendam disciplinam immixti manipulis. Id. ib. 28. — *Ad* ignoscendum erroribus inclinari. Amm. Marcell. 27, 11, 6. — Negantibus adhibetis tormenta *ad* confitendum. Tertull. apol. 2. — Non ergo *ad* acuendam linguam referebam illum librum. Augustin. confess. 3, 4.

Quid vero si inde ad merovingicos usus venimus, nisi usque ad finem retineri has constructiones tum apud scriptores classicorum imitatores, tum in barbarioris notae instrumentis?

1° Praepositio *ad* gerundio coniuncta propositum finem signat, etsi consequens verbum nihil aut parum habeat momenti : Qui Patrem et Filium et Spiritum Sanctum ausi sunt denegare *ad* convincendam Trinitatem. Arn. de Deo, 1, 3. — Se tollere rursus *ad* consistendum... non potuit. Paul. Nol. poem. 20, 89. — Naves *ad* fugiendum parat. Greg. Tur. HF. 3, 10. — *Ad* complendam malitiae suae molem primus contra Christi cultum persecutionem excitat. Id. ib. 1, 25. — Si mihi *ad* persequendum fratrem meum praebueris solatium. Id. ib. 2, 32. — Reddi iubeas *ad* ulciscendam mortem patris. Id. ib. 7, 14. — Cucurbitae elixae bene in sale... *ad* contemperandas febres faciunt. Anthim. 56. — *Ad* devitanda consortia mulierum. Dipl. Reg. 22, a. 648, p. 23, 5. — Si quis *ad* rapinam faciendam adgreditur. Form. Tur. 30, p. 152, 27. — *Ad* rapinam vel *ad* insidiam super me faciendam adstetit. Ib. 31, p. 154, 8. — *Ad* victualem necessitatem conquirendam. LAlam, 1, 2, 1. — Basilicam... *ad* corpora eorum vel nostrum quiescenda edificavimus. ChM. 344, a. 662, p. 123. — *Ad* deludendum *ad* deganandum. Gloss. Reich. 68. — *Ad* causas iudiciario more audiendas atque discuciendas vel freda exigenda. Form. Imp. 4, p. 290, 22. — Illos mittimus ad has partes *ad* exercitum promovendum et heribannum exactandum. Ib. 7, p. 292, 30.

2° Praepositio *ad* gerundio adiuncta praesertim post movendi

verba tanquam copula finalis apertius intercidit : Quia *ad* non peccandum, id est, *ad* non maleficiendum... eius potestas non sufficiat. Arn. de Deo, 2, 30. — Publica auctoritas male valentem patrem familiaș violentius *ad* reformandum debitum arctaret. Sidon. ep. 4, 23, p. 122. — Veni *ad* respondendum. Greg. Tur. HF. 3, 36, — Quo caelerius *ad* manducandum commoveretur. Id. ib. 3, 36. — Qui advenerant *ad* sanctum Gallum sepeliendum. Id. ib. 4, 6. — Dum pro furtum quis *ad* adpendendum deduceretur. Id. ib. 6, 8. — *Ad* rebaptizandum invita deducitur. Id. ib. 2, 2. — Anticipat omnes *ad* ingrediendum. Id. GM. 35. — Dum ferretur *ad* sepeliendum. Id. VP. 8, 5. — Declinantibus *ad* dormiendum monachis. Fortun. VSLeob. 2. — Si quis ingenuus querentem aut animalia aut res suas domum *ad* inquirendum intrantem prohibuerit. LBurg. P. 12, 1. — *Ad* persequendum Waifarium ire perrexit. Fredeg. cont. 132, p. 7, D.

Ergo vim finalem insequente gerundio praepositio non modo videtur non amisisse, sed ita contra prorogavisse ut iam saepius allata exempla bonam latinitatem excedant. Hic autem occurrit observatio necessaria, quae ad ipsos verbales modos pertinet. Licet enim animadvertas gerundivi formas, quae adservato generis ac numeri discrimine nominibus saepe cohaerebant prope periisse earumque partes soli gerundio mandatas esse. Immo quod memoria potissimum retinendum videtur, erit si animadverteris ipsum gerundium obsolevisse paulatim et ita vi propria ablata quasi saxea inertia obduruisse ut infinitivi vim tantum ac sensum exhiberet. Fuit illud ad novas in linguis romanicis verborum conformationes amplissimi momenti. Invenire est iam, quamvis rarius vel in deterrimis aevi merovingici instrumentis constructionem ita concinnatam ut pro gerundio aut gerundivo adhibeatur infinitivus modus praepositionique insolentissime iungatur (1). Duo reperire potui speci-

(1) Structurae ingenio linguae latinae valde repugnantis Diez pauciora profert exempla, Roensch (*Itala und Vulgata*, p. 430) tria tantum, quae in quibusdam sacrorum librorum detexit codicibus, quaeque ad usum graecum referri potius videantur : « Io. 6, 52 : quomodo potest hic nobis carnem dare *ad manducare* (δοῦναι... φαγεῖν), Verc. — Sirac. 45, 20 : ipsum elegit ab omni vivente *ad offerre* (ζῶντος προσαγαγεῖν) sacrificium deo, Tolet. — Tob. 3, 25 : sanare duos Tobin de squama maris albuginis ab oculis illius, ut videat lumen coeli, et *ad* Sarram filiam Raguel *dare* Tobiae filio Tobi uxorem (καὶ Σάρῤαν...δοῦναι), Regin. Suec. »

mina : Si quis grafionem aliquid rogavit iniuste *ad* res alienas *tollere*. LSal. 3, 51, 1 (*ad res alienas tollendum*, codd. 2, 10; *ad res alienas tollendas*, codd. 1, 5, 6, 7, 8, 9, Lex Emend.). — *Ad* casas dominicas *stabilire*, fenile, granica vel tunino recuperanda pedituras rationabiles accipiant. LBai. 1, 13 (*stabulare*, A 1. 2; *stabiliendas* corr. B6).

Quod quidem, licet ingenio latini sermonis minime sit consentaneum et rarius etiam detegatur, non dubito quin fuerit iam in vulgari aetatis merovingicae sermone usitatissimum. Similes enim ea lege apud linguam nostram adservatae sunt constructiones ut finali particulae adiungatur infinitivus modus : *A* Bertain aaisier met chascune la main. Berte, 1256. — Les dismes furent establies et donées anciennement *a* sainte eglise soustenir. Beaumanoir, 11, 39. — Amis leur sont necessaires *a* leurs bonnes actions accomplir. Oresme, Eth. 229. Ergo, quotiens in supra vel infra allatis locis auctores praepositioni adiungunt gerundium ut latinitatis umbram saltem retinere videantur, subintellege iisdem plerumque locis a plebe iam infinitivum pro gerundio adhiberi.

Quo posito, ultra pergere datur.

Nempe ex usu particulae *ad* finalis insequente gerundio ortae sunt duae structurae quae maximi fuerunt ponderis *ad* novam linguae gallicae syntaxin ordinandam. Quarum etsi lineamenta vel apud Romanos scriptores detegere possis, multo sane fient clariores, si recte merovingicae latinitatis exempla interposuerimus.

b) Constructionum prior occurrit praecipue cum verbis *habere, accipere, dare, tradere, linquere* aliaque eiusdem modi. Post illa enim Latini si finalem necessitatem signare sibi propositum habeant, substantivo praedicato tantum iungunt gerundivum (1), ut in his : Aedem Castoris habuit tuendam. Cic. in Verr. 2, 1, 50. — Patriam vel diripiendam vel inflammandam reliquimus. Id. ad fam. 16, 12, 1. — Obsides Aeduis custodiendos tradit. Caes. BG. 6, 4. — Antigonus Eumenem mortuum propinquis eius sepeliendum

---

(1) Cf. autem infinitivum verbo adiunctum exclusa praepositione, ut in hoc Terentiano : Iussi ei dari bibere. Ter. Andr. 484. Apud Merovingicos : Dedit asino illi bibere. Greg. Tur. VM. 4, 31. — Si quis alteri herbas dederit bibere ut moriatur. LSal. 1, 19, 1, etc. De quo cf. insuper Diez, *Gramm.*, p. 936; Pott, *Plattlatein.*, p. 323.

tradidit. Nep. Eum. 13. — Cui ordinandas bibliothecas delegaverat. Suet. div. Iul. 56. — Pueros lupae alendos obtulit. Iustin. 43, 2, 5 (1). Aliqua tamen vel apud scriptores Romanos accedunt exempla praepositionis *ad* eo sensu inter praedicatum nomen et gerundium positae, perinde ac si gerundiva per se non sufficiant et sensum necessitatis parum aperte declarent. Inde fit ut insolentius dicatur : Nemini se *ad* docendum dabat. Cic. Brut. 306. — Cum alteri Syriam *ad* diripiendum tradidisses. Id. pro dom. 60. — Partemque oppidi sumit *ad* obsidendum. Caes. BG. 8, 37. — Quem inventum pastores caprae subdiderunt *ad* nutriendum. Hygin. fab. 87 (2).

Cuius structurae, apud Romanos rarioris, cum sit contra apud auctores Merovingicos frequentissima et ex omnibus aevi documentis quasi nova lex syntaxeos haberi possit, exempla velim afferre quam plurima, ut plane prorsus pateat : Tantum sibi *ad* faciendum praesumeret. Hilar. de Trin. 7, 19. — Grammatica ex quo hominibus *ad* legendum est tradita. Arn. de Deo, 1, 13. — Quicumque clericus aliquid de iure ecclesiastico... acceperit *ad* utendum. CAG. conc. Aurelianense 4, a. 541, can. 18, p. 264. — Saeculares... ipsas parochias minime *ad* regendum debeant habere commissas. Ib. conc. Cabilonense, a. 650, can. 5, p. 490. — Cui *ad* pascendum oves commissae sunt. Greg. Tur. HF. 2, 23. — Cum equos *ad* claudendum adduxeris. Id. ib. 3, 15. — Litteras... ipsi *ad* legendum dedit. Id. ib. 3, 23. — Hoc depositum penes te habebatur *ad* custodiendum. Id. ib. 5, 18. — Paululum aquae puellae detulit *ad* bibendum. Id. VM. 3, 2. — Pulverem *ad* bibendum porrego moribundo. Id. ib. 3, 60. — Confracto corporis dominici sacramento, et ipse sumpsit et aliis distribuit *ad* aedendum. Id. GM. 86. — Quidam, accepto vasculo, presbitero, qui hanc aquam ministrabat, porrexit *ad* conplendum. Id. ib. 25. — Ut secretius quod *ad* suggerendum habebat, exponeret. Fredeg. 51. — Ut aliquid *ad* offerendum Deo adquireret. VGall. 2, p. 21, 11. — Suisque posteris perpetualiter *ad* possedendum relinquat. Dipl. Reg. 12, a. 628, p. 14, 48. — Regni nostri, quod ipse nobis *ad* regendum commisit. Ib. 42, a. 664, p. 40, 1. — Gengulfus

(1) Cf. Draeger, *Hist. Synt.*, t. II, p. 823.
(2) Cf. Draeger, *Hist. Synt.*, t. II, p. 824.

omnes causas ipsius monasterii *ad* prosequendum et redintegrandum deberet recipere. Ib. 43, a. 666, p. 41, 9. — Ipsa strumenta in presenti ostendit *ad* relegenda. Ib. 73, a. 702, p. 65, 5. — Praeceptionem... habere adfirmat, et nobis in praesenti eam ostendit *ad* relegendum. Ib. 96, a. 743, p. 86, 44. — Ad ipsam casam sancti Dionisii martyris contingebat *ad* habendum. Dipl. Mai. 21, a. 749, p. 106, 39. — Reliquum quod superfuerit, pars domini Petri Floriacensis recipiat *ad* possidendum. ChM. 358, a. 667, p. 145. — Dono vobis donatumque esse volo memoratas basilicas sanctorum *ad* gubernandum vel dominandum. Ib. 448, a. 698, p. 250. — Qui de manu furoni furtivam rem *ad* custodiendam acceperit. LBai. 9, 15. — Hereditas paterna sua sibi sit legitima *ad* possidendum. LAlam. 1, 2, 2. —Nihil est *ad* requirendum. Ib. pact. 2, 46. — Tradimus *ad* possedendum. Form. And. 37, p. 16, 36. — Habias concessum, dum advixeris, perpetualiter ad husufructuario *ad* possediendum. Ib. 40, p. 17, 38. — Cui caucione ista dederis *ad* exagendum. Ib. 22, p. 11, 35. — Cui voluerit *ad* possedendum relinquat. Form. Marc. 1, 13, p. 52, 3. — *Ad* possidendum derelinquat. Form. SM. 10, p. 245, 13. — *Ad* usufructuandum vel *ad* excolendum mihi relaxare deberitis. Ib. 5, p. 242, 40. — Dono *ad* habendi et possidendi. Form. Tur. app. 2, p. 164, 13. — Liberum et firmisimum in tua permaneat potestatem *ad* faciendum. Form. SB. 3, p. 229, 17. — Vestrum est *ad* ordinandum, que ipsa exinde agere debeat. Cart. Sen. 46, p. 206, 5. — Idem in synodo coram archiepiscopo et palam omnibus *ad* corrigendum insinuet. CAG. Suppl. a. 741, can. 9, p. 75. — Eumque eximentes, *ad* condemnandum regi Francorum Chlodoveo deferunt. GRF. 43, p. 568, D. — Medietatem quam uxore vel heredibus suis *ad* possidendum delegaverat. TBert. p. 256, 1. — Abbas ille, qui basilica sancta *ad* regendum et gubernandum commissa fuerit. Ib. p. 262, 2. — Regna pro sua misericordia *ad* gubernandum commisit. IETr. 12, a. 762, p. 299, B. — Regnumque fratribus suis melioribus se iuste *ad* regendum tradiderit. Nith. hist. 4, 1. — Locum desertum... sibi ac successoribus suis *ad* possidendum adepti sunt. Capit. HL. a 816, p. 263, 25. — Tradimus *ad* possidendum. Form. Imp. 10, p. 294, 11. — Richardo perpetualiter *ad* habendum reddere placuit. Ib. 49, p. 323, 37.

Hic etiam notabile est pro gerundio praevalere interdum, quan-

quam raro, infinitivum modum cum praepositione copulatum. Haec in promptu mihi sunt exempla : Vel *ad usufructuare* vel ad excolendum mihi relaxare deberitis. Form. SM. 7, p. 243, 33. — Mihi prestitissetis *ad habere*. Form. SL. 3, p. 269, 5. — Usum fructuarium vobis ex eis prestitissemus *ad habere*. Ib. 4, p. 269, 33. — Plubs obteneat me *ad habere* quem ipsius lue. Cart. Sen. 21, p. 194, 23. — Erubesco scribere quod parum resedit *ad offerre*. TBert. p. 260, 1. Inde quidem structura quae finali quoque sensu per infinitivum particulae adiunctum praevaluit in lingua nostra cum verbis dandi et tradendi, praesertim cum *estre* et *avoir* substantivis : Tant com il ad *a* vivre. Alexis, 33. — Mais as plus povres le donet *a* mangier. Ib. 51. — Tei covenist helme et bronie *a* porter. Ib. 83. — Ceo est *a* saveir par quatorze humes leals. Lois de Guill. 14. — Murs ne citet n'i est remes *a* fraindre. Rol. 5. — L'empereür li cumandet *a* guarder. Ib. 2527. — Diex, ki tout as *a* baillier. Aliscans, 904. — Ele esteit *a* marïer. Brut, 1838. — Mari *a* prendre m'otroient. Chev. au lyon. 2043. — Rien nule *a* feire ne redot. Ib. 1990. — La loi que tu as *a* garder. Huon de B. 5750. — Dieu qui tout a *a* garder. Berte, 96. — Une autre partie commanda li cuens de son avoir *a* retenir. Villeh. 36.

c) Constructio autem occurrit altera, quae a praecedente quodam modo seiungi debeat. Hanc fieri dico in gallica nostra lingua quotiens intercidit *à* copula inter infinitivum praedicati vices gerentem et verba plerumque agendi initium signantia. Latini enim his verbis adiunxerunt solum infinitivum, ut in his : Facere incepit. Plaut. Truc. 2, 5, 14. — Canere incipiam. Verg. Georg. 1, 5. — Cum primum pabuli copia esse inciperet. Caes. BG. 2, 2. — Si quando abundare coepero. Cic. ad Att. 1, 4.

Quamvis apud structuram novam pereat finalis sensus particulae, non prorsus aberrabit si quis originem usui tribuerit quo *ad* insequente gerundio finalem sensum declarat post eundi vel movendi verba. Quod sane saepe fieri apud Romanos et praesertim apud Merovingicos iam supra vidimus. Inde adsimilatione quadam et prorogatione usus extendi potuit post verba quae agendi notionem declarant; nec semel *ad* copula intercidit ita proprio gerundii excluso sensu ut a bona latinitate multo plus quam aliis locis barbari scriptores abhorreant. Seposita de industria nunc prodeant exempla nonnulla quibus monstrabitur qua via et ratione inter duos usus

transitio facta sit : Properant *ad* alligandum eum. Greg. Tur. VM. 1, 17. — *Ad* ambiendum sacerdotis gradum audeat adspirare. CAG. conc. Lugdunense 1, a. 517, can. 5, p. 203. — Praecepimus ut nullus *ad* subripiendum in aliquo conaretur. Capit. M. 1, a. 507-11, p. 1, 22. — *Ad* eam infrangendam temptare praesumpserit. Form. SM. 7, p. 244, 1. — Hoc *ad* perficiendum quantocius inchoetis. Capit. KC. a. 853, p. 424, 4. Non dubium enim videtur minus finales hic sensus declarari quam inter gerundia relationem et verba *incohare, tentare, adspirare,* etc. Adde iisdem locis gerundium pro vulgari infinitivo poni.

Multum tamen abest, fateor, quin documenta aevi merovingici vel deterrima integram cotidiani sermonis figuram referant : in quo suspicari licet iam frequentissime ad partes copulae deputatam praepositionem inter verba initium agendi signantia et consequentem infinitivum. Adeo ut fidem non exsuperent, quamvis exempla deficiant, hae vulgares locutiones, si quis eas coicere voluerit : *coepit ad, incipit ad, cuminitiat ad, prehensit ad facere,* aliaeque eiusdem modi. Illas enim ad similitudinem repraesentari in veteri nostra lingua neminem fugit, et ita infinitivo saepe praepositioni adiuncto fuisse quodam modo pensata damna, cum rueret in peius syntaxis constructionum latinarum elegantior. Adsint nihilominus exempla quaedam : *A* coleiar fellon lo presdrent. Passion, 47. — Pres *a* parler. Ib. 65. — Evvrui prist *a* castier. SLéger, 18. — Danz Alexis la prist *ad* apeler, la mortel vide li prist molt *a* blasmer. Alexis, 13. — La bone medre s'en prist *a* dementer. Ib. 26. — De guarnemenz se prent *a* cunreer. Rol. 343. — Cil Folques dont je vos di, comença *a* parler de Deu. Villeh. 1. — Comencierent *a* asembler en Venise. Id. 47.

Hanc ergo structuram, etsi per se valde differre videatur, ortam quoque arbitror e finali significatione quam apud Latinos *ad* habuit praepositum gerundio.

III.

Praepositio *ad* finalis etiam consideranda est si non e verbo pendeat, sed substantivo eam quasi trahenti utcumque postponatur : quod quidem duobus effici potest modis, sive gerundium praepositio regat, sive substantivum aliud nomen.

a) Apud auctores Latinos creberrima prioris iam structurae exempla reperias, ut in his : Alere canes *ad* venandum. Ter. Andr. 57.— Satis vemens causa *ad* obiurgandum. Id. ib. 150. — Non est locus *ad* tergiversandum. Cic. ad Att. 7, 1, 4. — Aliqua tamen *ad* resistendum ratio fuisset. Id. in Verr. 5, 89. — Studium *ad* pugnandum. Caes. BC. 2, 41. — Spatium dedisse *ad* respirandum. Liv. 27, 40.— Ardor *ad* dimicandum. Id. 4, 47. — Non senatui libertas *ad* paenitendum erat. Tac. ann. 3, 51. — *Ad* venandum cupiditas. Curt. 9, 1, 33. — Tempus *ad* contrahenda auxilia. Iustin. 8, 5, 2, — *Ad* certandum signum. Amm. Marcell. 24, 4, 14 (1).

Si inde ad merovingicam latinitatem adtendas, observandum erit praepositionem *ad* insequente gerundio coniunctam cum substantivo sic quoque denotare non raro usum vel finem, ut in formulam *quod adtinet ad* explicari possit : aliis etiam quibusdam locis animadvertas gerundium cum praepositione copulatum, etsi finale sit, gerundii genetivi sensum et vim apertius habere. Haec tantum exempla proferantur : Diaconibus canes *ad* venandum et accipitres habere non liceat. CAG. conc. Epaonense, a. 517, can. 4, p. 195. — Qui eligitur de facultatibus ipsius monasterii *ad* regendum nullum habeat potestatem. Ib. conc. Cabilonense, a. 650, can. 12, p. 491. — Moras innecteret *ad* restituendum. Greg. Tur. GM. 89. — Donec signum *ad* consurgendum commoveatur a monachis. Id. ib. 75. — Capsam *ad* sancta euangelia recludenda. Id. GC. 62. — Hic enim fecisse dicitur lavacrum *ad* baptizandum. Id. ib. 68. — Pietas saepe *ad* miserandum. Id. VM. 3, 22. — Quanta vero *ad* psallendum fuit constantia. Fortun. VSGerm. 77. — *Ad* commanendum licentiam dedistis. ChM. add. 17, a. 707, p. 433. — Licentiam habeat *ad* conquirendum. Cart. Sen. 1, p. 185, 33. — Boves *ad* laborandum. Form. Bit. 15, p. 175, 18. — Hoc est maso *ad* commanendum. Form. SB. 10, p. 231, 38. — Mansis *ad* commanendum. Ib. 6, p. 230, 9. — Potestatem *ad* exiendum non habeant. LAlam. 1, 18, 3. — Si autem sigillum episcopi neglexerit aut *ad* veniendum aut *ad* ambulandum ubi iusserit. Ib. 1, 23, 4.

Hoc etiam dicendi genus infinitivum exhibet pro gerundio : Hoc impedimentum est *ad* arma *baiulare*. LBai. 4, 11. — Silva ibidem mihi aspicientem *ad* porcos *crassare* plus minus XV. ChM. add. 75,

---

(1) Cf. praeterea Draeger, *Hist. Synt.*, t. II, p. 852.

a. 743, p. 472. Quae quidem etsi rariora praecipua non immerito videntur, cum vulgarem consuetudinem aperte prodant et ad similes inde in nostra lingua structuras transeamus : Fermail d'or *a* [illegible]on col fermer. Chev. au lyon, 1888. — Vuissiers *a* passer quatre [illegible]ille et cinc cenz chevaus. Villeh, 21. — La toile *a* lui ensevelir. [illegible]uce partie, 216.

[illegible]) Altera fit constructio quotiens *ad* insequente tantum substantivo s[illegible]omini cuilibet postponitur ut non iam posterioris quidem rei p[illegible]ssionem sed prioris destinationem signet atque genetivi qui di[illegible]r apud recentiores grammaticos verbo parum latino *obiectivus* [illegible]rcumscriptioni inserviat. Satis iam frequens apud auctores La[illegible]s occurrit : Nil aderat adiumenti *ad* pulchritudinem. Ter. Ph[illegible] 105. — Hanc causam habeat *ad* iniuriam. Cic. de off. 3, 6, 31. [illegible]Opportunitates *ad* cultum hominum. Id. de nat. deor. 2, 52. — [illegible]ugam locus. Curt. 4, 14, 15 (1). Praesertim si ad munus aliq[illegible] quasi deputare velint, ut in his : Servus *ad* manum. Cic. de ora[illegible] 60. — *Ad* lecticam homines. Catull. 10, 16. — Lygdamus *ad* c[illegible]os. Propert. 4, 8, 37 (2). Ea dicendi peculiaris formula in qua[illegible]audias licet *ministrandum* vel aliud huiuscemodi verbum, ita [illegible]ceps viguit ut in inscriptionibus aetatis imperialis ad designa[illegible] officiariorium munera frequentissime accommodetur (3).

Q[illegible] vero apud Merovingicos vel Karolinos specimina reperias nun[illegible]roponantur, cum latinam non adeo excedere consuetudinem [illegible]deantur : Quae Deus tua fecit, non ut causa tibi *ad* mortem sed [illegible]retium *ad* vitam forent. Paul. Nol. ep. 35, 5. — Signum *ad* ma[illegible]us motum est. Greg. Tur. HF. 3, 15. — Cum signum *ad* cur-

---

(1) [illegible]Draeger, *Hist. Synt.*, t. I, p. 582.

(2). [illegible]ursellin., cap. [illegible], § 3, 4.

(3) C[illegible]ei per se sati[illegible] notae exempla tamen quaedam proferam e monumentis e[illegible]phicis depro[illegible]mpta : Proc. *ad* alimenta. CIL. 6, 1634. — Proc. *ad* annonam [illegible]ae. Ib. 6, 1[illegible]33. — Proc. Aug. *ad* curam gentium. Ib. 8, 9327. — Proc. *ad* sol[illegible]ia et ho[illegible]ea. Ib. 8, 619. — Procur. Augustorum *ad* annonam provinciae Nar[illegible]]ensis[illegible]Herzog, 323. — Leg. Aug. P. P. *ad* census provinciae Lugdunensis. Wi[illegible]ns[illegible]163. — Cognoscenti *ad* sacras app. Ib. 1220. — Adiut. *ad* cens. Ib. 1291. —[illegible] *ad* fiscum Gallicum provinciae Lugdunensis. Ib. 386. — L. Fufio Equestre m[illegible] XVII Lugduniensis *ad* monetam. Rev. Epigr. du Midi de la France, 109.[illegible]urus Liviae *ad* valetud. CIL. 6, 9085. — Primus Messallae *ad* valetudi[illegible]. — [Ph]osphorus Marcell. *ad* supell. Ib. 6, 4471. — Tituleia nobilis c[illegible]s [illegible]. *ad* supelect. Ib. 6, 9049.

sum horae tertiae audieris insonare. Id. GC. 94. — Nobis generare praemium *ad* aeternae retributionis beatitudinem confidimus. Dipl. Reg. 3, a. 528, p. 5, 32. — Domus ipsa sit *ad* receptionem pontificum. TBert. 258, 2. — Caucione *ad* prestetum beneficium. Form. And. 22, p. 11, 28. — Lectario *ad* lecto. Ib. 1, p. 5, 9. — Victu *ad* caballos. Form. Marc. 1, 11, p. 49, 17. — Pedica *ad* caballo. LSal. 1, 27, 3 (*pedica de caballus*, cod. 2; *de caballo*, codd. 3, 5, 6, 7, 8, 9, 10). — Retem *ad* anguillas. Ib. 1, 27, 19. — Vasum *ad* ministerium. Ib. 2, 34, 5. — Puerum *ad* ministerium. Ib. 3, 35, 6. — Drappos *ad* discum. Capit KM. a. 800, p. 87, 2. — Modium unum de annona *ad* caballos. Capit. KC. a. 844, p. 379, 20. Neminem fugit in gallico nostro sermone, praesertim si ad usus recentiores adtendas eosdemque cotidianos, non periisse hanc vim particulae quae inter duo substantiva posita prius alteri saepe tribuit accedente finis notione.

IV.

De praepositione *ad* pauca disseram ex adiectivis nominibus pendente. Satis enim notum est in latino sermone praepositionem saepius pro dativo finali esse usurpatam post adiectiva quae utilitatem quandam vel proprietatem denotant, sicut *utilis*, *facilis*, *difficilis*, *gratus*, *acceptus*, *infensus*, *par*, *similis*, *affinis*, *propinquus*, etc.; immo usitatiorem post ea quae significant habilitatem, velut *habilis*, *aptus*, *idoneus*, *paratus*, etc. (1). Adde quod his structuris occurrant post particulam sive gerundia sive substantiva nomina et dicatur *paratus ad pugnam* vel *paratus ad pugnandum*. Adde etiam quod usum ipsi prorogaverint Latini et multis adiectivis accomodaverint: Avidus *ad* rem. Ter. Eun. 131. — Audax *ad* facinus. Cic. in Catil. 2, 5. — Fortis *ad* arma. Ovid. fast. 2, 688. — Ingeniosus *ad* furtum. Id. met. 11, 313. — Fidelis *ad* vetustatem. Plin. 13, 54. — Primus *ad* paenitentiam. Tac. ann. 1, 28. — Degener *ad* pericula. Id. ib. 1, 40. — Particeps *ad* secretum. Id. ib. 15, 50. — Ignavus *ad* pugnam. Id. hist. 1, 79. — Alienus *ad* amicitiam. Amm. Marcell. 26, 2, 9. — Fidus *ad* doctrinarum diritatem. Id. 26, 10, 5.

---

(1) Cf. Madvig, *Gramm.*, § 247 b, rem. 6; Draeger, *Hist. Synt.*, t. II, p. 853; Diez, *Gramm.*, p. 863.

Apud scriptores vero merovingicae aetatis tum usus adservatos eosdem reperire est, tum adhibitam paulo saepius constructionem adiectivis quae corporis motum vel intellegentiae quendam designant, ut *celer, memor, negligens, conscius,* etc. Ceterum exempla satis erit si indiscrete protulerim : *Ad* benefaciendum subito es necopinus ingenio. Aus. 8. Grat. Act. 6, 29. — Memorem se quoque *ad* enumeranda quae a saeculo sunt pollicetur. Hilar. de Trin. 12, 44. — Memorem esse me *ad* unam Patris et Filii substantiam. Arn. de Deo, 1, 18. — Cum sit *ad* inveniendum igneus. Avit. ep. 54, p. 83, 8. — Aptae *ad* digestionem. Anthim. 9. — Horribilis *ad* videndum. Greg. Tur. VM. 1, 8. — Locus... difficilis est *ad* incedendum. Id. VP. 11, 1. — Miles *ad* arma celer. Fortun. Carm. 2, 9, 43. — Miles *ad* arma potens. Id. VSMart. 3, 397. — Totus *ad* omne bonum. Id. carm 4, 7, 14. — *Ad* usum lanificii debiles quondam palmas armavit. Id. VSHil. 2, 10. — *Ad* vitia calcanda maturus. Id. VSAlb. 6. — Sicut erat *ad* vitia eradicanda sollicitus. Id. ib. 8. — Cervum domesticum... qui *ad* venationem consuetus est. LSal. 3, 33, 3. — Si quis Episcopus *ad* distinguendum eos, qui in hac facilitate perdurant, negligens apparuerit. CAG. conc. Turonense 2, a. 567, can. 11, p. 332. — Negligens aut tardus *ad* eo placito. Form. SB. 22, p. 236, 25. — Nec consciens *ad* ipso furandum numquam fuisset. Form. And. 15, p. 10, 4. — Quod *ad* numerandum longum est. Capit. KM. a. 800, p. 87, 22. Notandum vero mihi separatim videtur, cum hoc a bonae latinitatis consuetudine prorsus abhorreat, adiectiva *dignus* et *indignus* non semel in documentis merovingicis construi adiuncta *ad* praepositione : *Ad* officia sacri mysterii videantur indigna. CAG. conc. Arvernense, a. 535, can. 8, p. 243. — Nec *ad* hoc dignae sunt. Ib. conc. Vernense, a. 755, can. 6, p. 29. — Quamvis indignus sis *ad* audiendum verbum Dei. Act. Mart. pass. S. Theodoriti, 3, p. 590. — Digni *ad* ipso officio gubernandum. Form. Marc. suppl. 6, p. 109, 8. — Cum domo condignam *ad* habitandum. Ib. 2, 15, p. 85, 7. — Cum domibus *ad* manendum condignis. Ib. 2, 16, p. 86, 2. — Lectarias condignas *ad* lectos. Cart. Sen. 25, p. 196, 12.

Neque tamen, cum imitationi Latinorum depravatae tribuenda videantur, ea dixerim usu vulgari comprobata vel magno fuisse momento ad veteris gallicae linguae syntaxin. Illa quidem construxit adiectiva potius nomina accedente praepositione *de*, et quod

ad prisca monumenta adtinet, particula *à* praedictum sensum retinuisse videtur praecipue post adiectiva quae velut *utile, bon, profitable* finalem aperte notionem exhibent: Cist sunt bon *a* cunfundre. Rol. 1499. — Utle e profitable *a* mon os. Rois, p. 113. — A ceste amor sunt près et prestes. Rose, 6511. Ne obliviscaris has designationes, satis raras in antiquo sermone, multo frequentiores in scriptis ad exemplar Latinorum documentis apparere.

Ut breviter quae tertio hoc capite exposui contrahantur, observemus praepositionem *ad* retinuisse in merovingica latinitate vim finalem, sive insequatur nomen substantivum, sive gerundium, quod Romanorum etiam consuetudini magis accommodatum.

Si vero ad naturam nominum e quibus particula pendet spectes, animadverte substantiva et adiectiva usibus tantummodo inservire, qui plus minus syntaxin latinam referant. Cum autem pendeat e verbis particula, his locis vere novas constructiones viguisse dicam et perturbationem loquendi non mediocrem detegi. Potest enim *ad*, sicut apud Latinos, orationis membro quasi separato vim finalem praebere. Sed ex illo genuino usu, mira quadam syntaxeos commutatione, magis ac magis eo particula tendit ut inter praecipuum verbum et infinitivum pro gerundio positum intercidat tanquam copula : finalem necessitatem interposito substantivo post verba habendi et dandi significat; immo, amisso prope finali sensu, accommodari potest relationi qua initium agendi declaratur.

CAPVT IV.

De praepositione *ad* relationem nvmeri et conformitatis signante.

Cum mihi propositum sit omnes sensus amplecti quibus praepositio *ad* haberi possit veluti motum quoquo modo ad terminum signans, restat ut dicam de conformitatis relatione. Quippe inest huic relationi notio adpropinquandi, quae non nisi per comparationem fieri potest, id est per motum figurate indicatum.

Observandum est hac relatione frequentius apud Latinos particulam ad numerum vel ad numeri coniecturam referri. Si ad rerum comparationem spectes factam ut inter eas discrimen aliquod vel similitudo appareat, satis notum est praepositionem *ad* sensibus accommodari qui prorsus non discrepent a formula *quod adtinet ad* vel particula *secundum*. Adde quod genuina hic movendi notio magis ac magis decrescere videatur; adde etiam sensuum discrimina saepius fuisse subtiliora quam ut vergente latinitate integra adservari possent.

I.

a) Si vel pauca inprimis de numero dicam, aestimare licebit quantum disperierit elegantior syntaxeos latinae ratio. Adtribuebant enim Romani praepositionem ad numerum signandum pro *usque ad* quotiens absolutionem pecuniae indicare vellent certam ac definitam, vel de re ageretur quae in partes dividi potest, ut in his: *Ad* denarium solveretur. Cic. pro Quint. 4. — *Ad* nummum convenit. Id. ad Att. 5, 21, 12.—Aedem Iunonis Laciniae *ad* partem dimidiam detegit. Liv. 42, 3. — Mustum quam dulcissimum decoquitur *ad* tertias. Colum. 12, 21. — Aqua multa in ea decoquitur *ad* dimidias. Plin. 20, 3. Adde celeberrimam loquendi rationem *ad unum* : De amicitia omnes *ad unum* sentiunt. Cic. de amic. 23. — Si nondum exosus *ad unum* Troianos. Verg. Aen. 5, 687.

Sed Latinis hic fuit particulae peculiaris ac proprius usus ut eam

vel adverbialiter positam deputarent coniecturae numeri cui velis aestimatione plus minus accedere. Usurpatur enim eodem fere sensu atque *circiter* praepositio *ad* in his et similibus : *Ad* quadraginta minas. Plaut. Epid. 2, 2, 111. — Annos *ad* quinquaginta natus. Cic. pro Cluent. 40. — Frequentes fuimus omnino *ad* ducentos. Id. ad Qu. fr. 2, 1. — Equitatumque omnem *ad* numerum quattuor milium. Caes. BG. 1, 15. — Occisis *ad* hominum milibus quattuor. Id. ib. 2, 33. — *Ad* duo milia numero ex Pompeianis cecidisse. Id. BC. 3, 53. — *Ad* viginti matronis accitis. Liv. 8, 18. — Longa folia habet fere *ad* quattuor digitos. Plin. 27, 12, 86. Et vel apud infimae latinitatis scriptores, quanquam rarius : Sinuessae *ad* quattuor milia servorum a Q. Metello et Cn. Servilio Caepione oppressa sunt. Oros. hist. 5, 9, 4. — Boiorum utriusque sexus *ad* centum quinquaginta et septem milia hominum. Id. ib. 6, 7, 5 (1).

b) Merovingici vero particulam *ad* vix adhibuisse videntur ad designationem numeralem, eiusque rarissima vestigia in instrumentis vel apud scriptores reperias. Si extremum numeri limitem indicare velint, extra quem non debeas egredi, utuntur locutione redundanti *usque ad*, modo simillimo ac ponitur ad terminum in tempore signandum. Cuius profecto rei in solo Legis Salicae textu exempla occurrunt quam plurima : Quo numero *usque ad* duos porcos. LSal. 1, 2, 6. — Si quis porcello tertusu imbulaverit *usque ad* anniculum. Ib., 1, 2, 9.—Si vero amplius *usque ad* XXV animalia furaverit. Ib. 1, 3, 7.—Si grex minor fuerit *usque ad* septem capita. Ib. 1, 38, 4. — *Usque ad* tres vices. Ib. 1, 50, 2.

Magna paucitas est speciminum praepositionis per se numerum signantis, et ea spectant potius ad numerum definitum vel ad locutiones rustice fictas usumque linguae romanicae iam prodentes : Si *ad* plures vero usque ad sex apes foris tecto furate fuerint. LSal. 3, 8, 3. — *Ad* duplum ipso locario vobis reddere spondeo. Form. Marc. 2, 26, p. 92, 25 (2). Inde in veteri gallico sermone : *Al* doble

(1) De quo cf. praeterea Tursellin., cap. 8, § 2, 2; Madvig, *Gramm.*, § 172, rem. 2; Draeger, *Hist. Synt.*, t. I, p. 580.

(2) Cf. praepositionem *in* eadem ratione positam : Restituta *in* duplum omni facultatae. Greg. Tur. HF. 1, 8. — Hoc est *in* triplum. LSal. 1, 3, 5. Vel etiam *pro* : *Pro* duplum in crastinum me... teneatis obnoxium. Form. Marc. 2, 25, p. 92, 17.

li sera rendue. Beneoit, DN. 16439. Iunge etiam formulam *ad unum* in antiquissimis monumentis adservatam : Il li respondent tuit *ad un*. Passion, 34.

Coniecturam autem numeri, quae fit apud Latinos elegantissimo praepositionis *ad* discrimine scriptores Merovingici vix signare potuisse videntur nisi adverbio *circiter* per periphrasin adiuncto, vel particula *quasi* unice posita : Multitudo immensa sanctimonialium *ad numerum circiter* ducentarum. Greg. Tur. GC. 104. — Caecideruntque ibi *quasi* quinquae milia virorum. Id. HF. 9, 31. Neque tamen adseverem omnino his saeculis in cotidiano sermone periisse breviorem per *ad* coniecturam, cum vel in nostra lingua praepositionis supersint vestigia adtributae numero, fateor, non certo sed potius ingenti atque indefinito : Moerent paien *a* milliers e *a* cenz. Rol. 1417. — Paien sunt mort *a* milliers et *a* fuls. Ib. 1439. Sed, etsi vestigia occurrant, arbitror reapse particulam *ad* in latinitate aevi merovingici per se non posse iam signare relationes numerales, id est adpropinquationem quae fit ad numerum pro termino habitum.

II.

a) Transeamus nunc ad adpropinquationnem ex comparatione provenientem. Aptior est enin praepositio *ad* si figuratam movendi rationem signare velis, qua res ad alteram refertur ut appareat discrimen vel similitudo. Inde comparandi notio, quae non semel apud Latinos declaratur particula idem propre valente ac graeca particula πρός, ut in his : Estne, ut fertur, forma? Sane. At nil *ad* nostram hanc. Ter. Eun. 361. — Cognovimus virum bonum et non illiteratum, sed nihil *ad* Persium. Cic. de orat. 2, 6. — Nihil *ad* Coelium sed potius *ad* antiquorum languorem atque inscientiam. Id. de leg. 1, 2. — Ut unum *ad* decem, sic decem *ad* centum. Quintil. 5, 11, 34. Cuius rei per se satis illustratae proferam statim exempla quaedam, ut appareat quo simillimo modo construxerint interdum Patres Gallici orationem : Non potest comparari quasi *ad* aliud. Cl. Mam. de statu, 1, 29. — Quod est lapis *ad* inanimum vivens, hoc est inanimum vivens *ad* animatum vivens. Id. ib. 1, 23. — Unius *ad* unum et duorum *ad* duo, et trium *ad* tría summa aequalitas est. Id. ib. 2, 5, 2.

quam raro, infinitivum modum cum praepositione copulatum. Haec in promptu mihi sunt exempla : Vel *ad usufructuare* vel ad excolendum mihi relaxare deberitis. Form. SM. 7, p. 243, 33. — Mihi prestitissetis *ad habere*. Form. SL. 3, p. 269, 5. — Usum fructuarium vobis ex eis prestitissemus *ad habere*. Ib. 4, p. 269, 33. — Plubs obteneat me *ad habere* quem ipsius lue. Cart. Sen. 21, p. 194, 23. — Erubesco scribere quod parum resedit *ad offerre*. TBert. p. 260, 1. Inde quidem structura quae finali quoque sensu per infinitivum particulae adiunctum praevaluit in lingua nostra cum verbis dandi et tradendi, praesertim cum *estre* et *avoir* substantivis : Tant com il ad *a* vivre. Alexis, 33. — Mais as plus povres le donet *a* mangier. Ib. 51. — Tei covenist helme et bronie *a* porter. Ib. 83. — Ceo est *a* saveir par quatorze humes leals. Lois de Guill. 14. — Murs ne citet n'i est remes *a* fraindre. Rol. 5. — L'empereür li cumandet *a* guarder. Ib. 2527. — Diex, ki tout as *a* baillier. Aliscans, 904. — Ele esteit *a* marïer. Brut, 1838. — Mari *a* prendre m'otroient. Chev. au lyon. 2043. — Rien nule *a* feire ne redot. Ib. 1990. — La loi que tu as *a* garder. Huon de B. 5750. — Dieu qui tout a *a* garder. Berte, 96. — Une autre partie commanda li cuens de son avoir *a* retenir. Villeh. 36.

c) Constructio autem occurrit altera, quae a praecedente quodam modo seiungi debeat. Hanc fieri dico in gallica nostra lingua quotiens intercidit *à* copula inter infinitivum praedicati vices gerentem et verba plerumque agendi initium signantia. Latini enim his verbis adiunxerunt solum infinitivum, ut in his : Facere incepit. Plaut. Truc. 2, 5, 14. — Canere incipiam. Verg. Georg. 1, 5. — Cum primum pabuli copia esse inciperet. Caes. BG. 2, 2. — Si quando abundare coepero. Cic. ad Att. 1, 4.

Quamvis apud structuram novam pereat finalis sensus particulae, non prorsus aberrabit si quis originem usui tribuerit quo *ad* insequente gerundio finalem sensum declarat post eundi vel movendi verba. Quod sane saepe fieri apud Romanos et praesertim apud Merovingicos iam supra vidimus. Inde adsimilatione quadam et prorogatione usus extendi potuit post verba quae agendi notionem declarant; nec semel *ad* copula intercidit ita proprio gerundii excluso sensu ut a bona latinitate multo plus quam aliis locis barbari scriptores abhorreant. Seposita de industria nunc prodeant exempla nonnulla quibus monstrabitur qua via et ratione inter duos usus

transitio facta sit : Properant *ad* alligandum eum. Greg. Tur. VM. 1, 17. — *Ad* ambiendum sacerdotis gradum audeat adspirare. CAG. conc. Lugdunense 1, a. 517, can. 5, p. 203. — Praecepimus ut nullus *ad* subripiendum in aliquo conaretur. Capit. M. 1, a. 507-11, p. 1, 22. — *Ad* eam infrangendam temptare praesumpserit. Form. SM. 7, p. 244, 1. — Hoc *ad* perficiendum quantocius inchoetis. Capit. KC. a. 853, p. 424, 4. Non dubium enim videtur minus finales hic sensus declarari quam inter gerundia relationem et verba *incohare, tentare, adspirare,* etc. Adde iisdem locis gerundium pro vulgari infinitivo poni.

Multum tamen abest, fateor, quin documenta aevi merovingici vel deterrima integram cotidiani sermonis figuram referant : in quo suspicari licet iam frequentissime ad partes copulae deputatam praepositionem inter verba initium agendi signantia et consequentem infinitivum. Adeo ut fidem non exsuperent, quamvis exempla deficiant, hae vulgares locutiones, si quis eas coicere voluerit : *coepit ad, incipit ad, cuminitiat ad, prehensit ad facere,* aliaeque eiusdem modi. Illas enim ad similitudinem repraesentari in veteri nostra lingua neminem fugit, et ita infinitivo saepe praepositioni adiuncto fuisse quodam modo pensata damna, cum rueret in peius syntaxis constructionum latinarum elegantior. Adsint nihilominus exempla quaedam : *A* coleiar fellon lo presdrent. Passion, 47. — Pres *a* parler. Ib. 65. — Evvrui prist *a* castier. SLéger, 18. — Danz Alexis la prist *ad* apeler, la mortel vide li prist molt *a* blasmer. Alexis, 13. — La bone medre s'en prist *a* dementer. Ib. 26. — De guarnemenz se prent *a* cunreer. Rol. 343. — Cil Folques dont je vos di, commença *a* parler de Deu. Villeh. 1. — Comencierent *a* asembler en Venise. Id. 47.

Hanc ergo structuram, etsi per se valde differre videatur, ortam quoque arbitror e finali significatione quam apud Latinos *ad* habuit praepositum gerundio.

III.

Praepositio *ad* finalis etiam consideranda est si non e verbo pendeat, sed substantivo eam quasi trahenti utcumque postponatur : quod quidem duobus effici potest modis, sive gerundium praepositio regat, sive substantivum aliud nomen.

a) Apud auctores Latinos creberrima prioris iam structurae exempla reperias, ut in his : Alere canes *ad* venandum. Ter. Andr. 57.— Satis vemens causa *ad* obiurgandum. Id. ib. 150. — Non est locus *ad* tergiversandum. Cic. ad Att. 7, 1, 4. — Aliqua tamen *ad* resistendum ratio fuisset. Id. in Verr. 5, 89. — Studium *ad* pugnandum. Caes. BC. 2, 41. — Spatium dedisse *ad* respirandum. Liv. 27, 40.— Ardor *ad* dimicandum. Id. 4, 47. — Non senatui libertas *ad* paenitendum erat. Tac. ann. 3, 51. — *Ad* venandum cupiditas. Curt. 9, 1, 33. — Tempus *ad* contrahenda auxilia. Iustin. 8, 5, 2, — *Ad* certandum signum. Amm. Marcell. 24, 4, 14 (1).

Si inde ad merovingicam latinitatem adtendas, observandum erit praepositionem *ad* insequente gerundio coniunctam cum substantivo sic quoque denotare non raro usum vel finem, ut in formulam *quod adtinet ad* explicari possit : aliis etiam quibusdam locis animadvertas gerundium cum praepositione copulatum, etsi finale sit, gerundii genetivi sensum et vim apertius habere. Haec tantum exempla proferantur : Diaconibus canes *ad* venandum et accipitres habere non liceat. CAG. conc. Epaonense, a. 517, can. 4, p. 195. — Qui eligitur de facultatibus ipsius monasterii *ad* regendum nullum habeat potestatem. Ib. conc. Cabilonense, a. 650, can. 12, p. 491. — Moras innecteret *ad* restituendum. Greg. Tur. GM. 89. — Donec signum *ad* consurgendum commoveatur a monachis. Id. ib. 75. — Capsam *ad* sancta euangelia recludenda. Id. GC. 62. — Hic enim fecisse dicitur lavacrum *ad* baptizandum. Id. ib. 68. — Pietas saepe *ad* miserandum. Id. VM. 3, 22. — Quanta vero *ad* psallendum fuit constantia. Fortun. VSGerm. 77. — *Ad* commanendum licentiam dedistis. ChM. add. 17, a. 707, p. 433. — Licentiam habeat *ad* conquirendum. Cart. Sen. 1, p. 185, 33. — Boves *ad* laborandum. Form. Bit. 15, p. 175, 18. — Hoc est maso *ad* commanendum. Form. SB. 10, p. 231, 38. — Mansis *ad* commanendum. Ib. 6, p. 230, 9. — Potestatem *ad* exiendum non habeant. LAlam. 1, 18, 3. — Si autem sigillum episcopi neglexerit aut *ad* veniendum aut *ad* ambulandum ubi iusserit. Ib. 1, 23, 4.

Hoc etiam dicendi genus infinitivum exhibet pro gerundio : Hoc impedimentum est *ad* arma *baiulare*. LBai. 4, 11. — Silva ibidem mihi aspicientem *ad* porcos *crassare* plus minus XV. ChM. add. 75,

---

(1) Cf. praeterea Draeger, *Hist. Synt.*, t. II, p. 852.

a. 743, p. 472. Quae quidem etsi rariora praecipua non immerito videntur, cum vulgarem consuetudinem aperte prodant et ad similes inde in nostra lingua structuras transeamus : Fermail d'or *a* son col fermer. Chev. au lyon, 1888. — Vuissiers *a* passer quatre mille et cinc cenz chevaus. Villeh, 21. — La toile *a* lui ensevelir. Houce partie, 216.

b) Altera fit constructio quotiens *ad* insequente tantum substantivo sic nomini cuilibet postponitur ut non iam posterioris quidem rei possessionem sed prioris destinationem signet atque genetivi qui dicitur apud recentiores grammaticos verbo parum latino *obiectivus*, circumscriptioni inserviat. Satis iam frequens apud auctores Latinos occurrit : Nil aderat adiumenti *ad* pulchritudinem. Ter. Phorm. 105. — Hanc causam habeat *ad* iniuriam. Cic. de off. 3, 6, 31. — Opportunitates *ad* cultum hominum. Id. de nat. deor. 2, 52. — *Ad* fugam locus. Curt. 4, 14, 15 (1). Praesertim si ad munus aliquem quasi deputare velint, ut in his : Servus *ad* manum. Cic. de orat. 3, 60. — *Ad* lecticam homines. Catull. 10, 16. — Lygdamus *ad* cyathos. Propert. 4, 8, 37 (2). Ea dicendi peculiaris formula in qua subaudias licet *ministrandum* vel aliud huiuscemodi verbum, ita deinceps viguit ut in inscriptionibus aetatis imperialis ad designanda officiariorium munera frequentissime accommodetur (3).

Quae vero apud Merovingicos vel Karolinos specimina reperias nunc proponantur, cum latinam non adeo excedere consuetudinem videantur : Quae Deus tua fecit, non ut causa tibi *ad* mortem sed ut pretium *ad* vitam forent. Paul. Nol. ep. 35, 5. — Signum *ad* matutinus motum est. Greg. Tur. HF. 3, 15. — Cum signum *ad* cur-

---

(1) Cf. Draeger, *Hist. Synt.*, t. I, p. 582.

(2). Cf. Tursellin., cap. 8, § 3, 4.

(3) Cuius rei per se satis notae exempla tamen quaedam proferam e monumentis epigraphicis deprompta : Proc. *ad* alimenta. CIL. 6, 1634. — Proc. *ad* annonam [o]stiae. Ib. 6, 1633. — Proc. Aug. *ad* curam gentium. Ib. 8, 9327. — Proc. *ad* solaminia et horrea. Ib. 8, 619. — Procur. Augustorum *ad* annonam provinciae Narbo[n]ensis. Herzog, 323. — Leg. Aug. P. P. *ad* census provinciae Lugdunensis. Wilmanns, 1163. — Cognoscenti *ad* sacras app. Ib. 1220. — Adiut. *ad* cens. Ib. 1291. — Disp. *ad* fiscum Gallicum provinciae Lugdunensis. Ib. 386. — L. Fufio Equestre mil. coh. XVII Lugduniensis *ad* monetam. Rev. Epigr. du Midi de la France, 109. — Philargurus Liviae *ad* valetud. CIL. 6, 9085. — Primus Messallae *ad* valetudin. Ib. 6, 4475. — [Ph]osphorus Marcell. *ad* supell. Ib. 6, 4471. — Tituleia nobilis clemens Aug. *ad* supelect. Ib. 6, 9049.

sum horae tertiae audieris insonare. Id. GC. 94. — Nobis generare praemium *ad* aeternae retributionis beatitudinem confidimus. Dipl. Reg. 3, a. 528, p. 5, 32. — Domus ipsa sit *ad* receptionem pontificum. TBert. 258, 2. — Caucione *ad* prestetum beneficium. Form. And. 22, p. 11, 28. — Lectario *ad* lecto. Ib. 1, p. 5, 9. — Victu *ad* caballos. Form. Marc. 1, 11, p. 49, 17. — Pedica *ad* caballo. LSal. 1, 27, 3 (*pedica de caballus,* cod. 2; *de caballo,* codd. 3, 5, 6, 7, 8, 9, 10). — Retem *ad* anguillas. Ib. 1, 27, 19. — Vasum *ad* ministerium. Ib. 2, 34, 5. — Puerum *ad* ministerium. Ib. 3, 35, 6. — Drappos *ad* discum. Capit KM. a. 800, p. 87, 2. — Modium unum de annona *ad* caballos. Capit. KC. a. 844, p. 379, 20. Neminem fugit in gallico nostro sermone, praesertim si ad usus recentiores adtendas eosdemque cotidianos, non periisse hanc vim particulae quae inter duo substantiva posita prius alteri saepe tribuit accedente finis notione.

IV.

De praepositione *ad* pauca disseram ex adiectivis nominibus pendente. Satis enim notum est in latino sermone praepositionem saepius pro dativo finali esse usurpatam post adiectiva quae utilitatem quandam vel proprietatem denotant, sicut *utilis, facilis, difficilis, gratus, acceptus, infensus, par, similis, affinis, propinquus,* etc.; immo usitatiorem post ea quae significant habilitatem, velut *habilis, aptus, idoneus, paratus,* etc. (1). Adde quod his structuris occurrant post particulam sive gerundia sive substantiva nomina et dicatur *paratus ad pugnam* vel *paratus ad pugnandum.* Adde etiam quod usum ipsi prorogaverint Latini et multis adiectivis accomodaverint: Avidus *ad* rem. Ter. Eun. 131. — Audax *ad* facinus. Cic. in Catil. 2, 5. — Fortis *ad* arma. Ovid. fast. 2, 688. — Ingeniosus *ad* furtum. Id. met. 11, 313. — Fidelis *ad* vetustatem. Plin. 13, 54. — Primus *ad* paenitentiam. Tac. ann. 1, 28. — Degener *ad* pericula. Id. ib. 1, 40. — Particeps *ad* secretum. Id. ib. 15, 50. — Ignavus *ad* pugnam. Id. hist. 1, 79. — Alienus *ad* amicitiam. Amm. Marcell. 26, 2, 9. — Fidus *ad* doctrinarum diritatem. Id. 26, 10, 5.

---

(1) Cf. Madvig, *Gramm.,* § 247 b, rem. 6; Draeger, *Hist. Synt.,* t. II, p. 853; Diez, *Gramm.,* p. 863.

Apud scriptores vero merovingicae aetatis tum usus adservatos eosdem reperire est, tum adhibitám paulo saepius constructionem adiectivis quae corporis motum vel intellegentiae quendam designant, ut *celer, memor, negligens, conscius,* etc. Ceterum exempla satis erit si indiscrete protulerim : *Ad* benefaciendum subito es necopinus ingenio. Aus. 8. Grat. Act. 6, 29. — Memorem se quoque *ad* enumeranda quae a saeculo sunt pollicetur. Hilar. de Trin. 12, 44. — Memorem esse me *ad* unam Patris et Filii substantiam. Arn. de Deo, 1, 18. — Cum sit *ad* inveniendum igneus. Avit. ep. 54, p. 83, 8. — Aptae *ad* digestionem. Anthim. 9. — Horribilis *ad* videndum. Greg. Tur. VM. 1, 8. — Locus... difficilis est *ad* incedendum. Id. VP. 11, 1. — Miles *ad* arma celer. Fortun. Carm. 2, 9, 43. — Miles *ad* arma potens. Id. VSMart. 3, 397. — Totus *ad* omne bonum. Id. carm 4, 7, 14. — *Ad* usum lanificii debiles quondam palmas armavit. Id. VSHil. 2, 10. — *Ad* vitia calcanda maturus. Id. VSAlb. 6. — Sicut erat *ad* vitia eradicanda sollicitus. Id. ib. 8. — Cervum domesticum... qui *ad* venationem consuetus est. LSal. 3, 33, 3. — Si quis Episcopus *ad* distinguendum eos, qui in hac facilitate perdurant, negligens apparuerit. CAG. conc. Turonense 2, a. 567, can. 11, p. 332. — Negligens aut tardus *ad* eo placito. Form. SB. 22, p. 236, 25. — Nec consciens *ad* ipso furandum numquam fuisset. Form. And. 15, p. 10, 4. — Quod *ad* numerandum longum est. Capit. KM. a. 800, p. 87, 22. Notandum vero mihi separatim videtur, cum hoc a bonae latinitatis consuetudine prorsus abhorreat, adiectiva *dignus* et *indignus* non semel in documentis merovingicis construi adiuncta *ad* praepositione : *Ad* officia sacri mysterii videantur indigna. CAG. conc. Arvernense, a. 535, can. 8, p. 243. — Nec *ad* hoc dignae sunt. Ib. conc. Vernense, a. 755, can. 6, p. 29. — Quamvis indignus sis *ad* audiendum verbum Dei. Act. Mart. pass. S. Theodoriti, 3, p. 590. — Digni *ad* ipso officio gubernandum. Form. Marc. suppl. 6, p. 109, 8. — Cum domo condignam *ad* habitandum. Ib. 2, 15, p. 85, 7. — Cum domibus *ad* manendum condignis. Ib. 2, 16, p. 86, 2. — Lectarias condignas *ad* lectos. Cart. Sen. 25, p. 196, 12.

Neque tamen, cum imitationi Latinorum depravatae tribuenda videantur, ea dixerim usu vulgari comprobata vel magno fuisse momento ad veteris gallicae linguae syntaxin. Illa quidem construxit adiectiva potius nomina accedente praepositione *de*, et quod

ad prisca monumenta adtinet, particula *à* praedictum sensum retinuisse videtur praecipue post adiectiva quae velut *utile, bon, profitable* finalem aperte notionem exhibent: Cist sunt bon *a* cunfundre. Rol. 1499. — Utle e profitable *a* mon os. Rois, p. 113. — A ceste amor sunt près et prestes. Rose, 6511. Ne obliviscaris has designationes, satis raras in antiquo sermone, multo frequentiores in scriptis ad exemplar Latinorum documentis apparere.

Ut breviter quae tertio hoc capite exposui contrahantur, observemus praepositionem *ad* retinuisse in merovingica latinitate vim finalem, sive insequatur nomen substantivum, sive gerundium, quod Romanorum etiam consuetudini magis accommodatum.

Si vero ad naturam nominum e quibus particula pendet spectes, animadverte substantiva et adiectiva usibus tantummodo inservire, qui plus minus syntaxin latinam referant. Cum autem pendeat e verbis particula, his locis vere novas constructiones viguisse dicam et perturbationem loquendi non mediocrem detegi. Potest enim *ad*, sicut apud Latinos, orationis membro quasi separato vim finalem praebere. Sed ex illo genuino usu, mira quadam syntaxeos commutatione, magis ac magis eo particula tendit ut inter praecipuum verbum et infinitivum pro gerundio positum intercidat tanquam copula : finalem necessitatem interposito substantivo post verba habendi et dandi significat; immo, amisso prope finali sensu, accommodari potest relationi qua initium agendi declaratur.

CAPVT IV.

De praepositione *AD* relationem nvmeri et conformitatis signante.

Cum mihi propositum sit omnes sensus amplecti quibus praepositio *ad* haberi possit veluti motum quoquo modo ad terminum signans, restat ut dicam de conformitatis relatione. Quippe inest huic relationi notio adpropinquandi, quae non nisi per comparationem fieri potest, id est per motum figurate indicatum.

Observandum est hac relatione frequentius apud Latinos particulam ad numerum vel ad numeri coniecturam referri. Si ad rerum comparationem spectes factam ut inter eas discrimen aliquod vel similitudo appareat, satis notum est praepositionem *ad* sensibus accommodari qui prorsus non discrepent a formula *quod adtinet ad* vel particula *secundum.* Adde quod genuina hic movendi notio magis ac magis decrescere videatur; adde etiam sensuum discrimina saepius fuisse subtiliora quam ut vergente latinitate integra adservari possent.

I.

a) Si vel pauca inprimis de numero dicam, aestimare licebit quantum disperierit elegantior syntaxeos latinae ratio. Adtribuebant enim Romani praepositionem ad numerum signandum pro *usque ad* quotiens absolutionem pecuniae indicare vellent certam ac definitam, vel de re ageretur quae in partes dividi potest, ut in his: *Ad* denarium solveretur. Cic. pro Quint. 4. — *Ad* nummum convenit. Id. ad Att. 5, 21, 12.—Aedem Iunonis Laciniae *ad* partem dimidiam detegit. Liv. 42, 3. — Mustum quam dulcissimum decoquitur *ad* tertias. Colum. 12, 21. — Aqua multa in ea decoquitur *ad* dimidias. Plin. 20, 3. Adde celeberrimam loquendi rationem *ad unum* : De amicitia omnes *ad unum* sentiunt. Cic. de amic. 23. — Si nondum exosus *ad unum* Troianos. Verg. Aen. 5, 687.

Sed Latinis hic fuit particulae peculiaris ac proprius usus ut eam

vel adverbialiter positam deputarent coniecturae numeri cui velis aestimatione plus minus accedere. Usurpatur enim eodem fere sensu atque *circiter* praepositio *ad* in his et similibus : *Ad* quadraginta minas. Plaut. Epid. 2, 2, 111. — Annos *ad* quinquaginta natus. Cic. pro Cluent. 40. — Frequentes fuimus omnino *ad* ducentos. Id. ad Qu. fr. 2, 1. — Equitatumque omnem *ad* numerum quattuor milium. Caes. BG. 1, 15. — Occisis *ad* hominum milibus quattuor. Id. ib. 2, 33. — *Ad* duo milia numero ex Pompeianis cecidisse. Id. BC. 3, 53. — *Ad* viginti matronis accitis. Liv. 8, 18. — Longa folia habet fere *ad* quattuor digitos. Plin. 27, 12, 86. Et vel apud infimae latinitatis scriptores, quanquam rarius : Sinuessae *ad* quattuor milia servorum a Q. Metello et Cn. Servilio Caepione oppressa sunt. Oros. hist. 5, 9, 4. — Boiorum utriusque sexus *ad* centum quinquaginta et septem milia hominum. Id. ib. 6, 7, 5 (1).

b) Merovingici vero particulam *ad* vix adhibuisse videntur ad designationem numeralem, eiusque rarissima vestigia in instrumentis vel apud scriptores reperias. Si extremum numeri limitem indicare velint, extra quem non debeas egredi, utuntur locutione redundanti *usque ad*, modo simillimo ac ponitur ad terminum in tempore signandum. Cuius profecto rei in solo Legis Salicae textu exempla occurrunt quam plurima : Quo numero *usque ad* duos porcos. LSal. 1, 2, 6. — Si quis porcello tertusu imbulaverit *usque ad* anniculum. Ib., 1, 2, 9. — Si vero amplius *usque ad* XXV animalia furaverit. Ib. 1, 3, 7. — Si grex minor fuerit *usque ad* septem capita. Ib. 1, 38, 4. — *Usque ad* tres vices. Ib. 1, 50, 2.

Magna paucitas est speciminum praepositionis per se numerum signantis, et ea spectant potius ad numerum definitum vel ad locutiones rustice fictas usumque linguae romanicae iam prodentes : Si *ad* plures vero usque ad sex apes foris tecto furate fuerint. LSal. 3, 8, 3. — *Ad* duplum ipso locario vobis reddere spondeo. Form. Marc. 2, 26, p. 92, 25 (2). Inde in veteri gallico sermone : *Al* doble

---

(1) De quo cf. praeterea Tursellin., cap. 8, § 2, 2; Madvig, *Gramm.*, § 172, rem. 2; Draeger, *Hist. Synt.*, t. I, p. 580.

(2) Cf. praepositionem *in* eadem ratione positam : Restituta *in* duplum omni facultatae. Greg. Tur. HF. 1, 8. — Hoc est *in* triplum. LSal. 1, 3, 5. Vel etiam *pro* : *Pro* duplum in crastinum me... teneatis obnoxium. Form. Marc. 2, 25, p. 92, 17.

li sera rendue. Beneoit, DN. 16439. Iunge etiam formulam *ad unum* in antiquissimis monumentis adservatam : Il li respondent tuit *ad un*. Passion, 34.

Coniecturam autem numeri, quae fit apud Latinos elegantissimo praepositionis *ad* discrimine scriptores Merovingici vix signare potuisse videntur nisi adverbio *circiter* per periphrasin adiuncto, vel particula *quasi* unice posita : Multitudo immensa sanctimonialium *ad numerum circiter* ducentarum. Greg. Tur. GC. 104. — Caecideruntque ibi *quasi* quinquae milia virorum. Id. HF. 9, 31. Neque tamen adseverem omnino his saeculis in cotidiano sermone periisse breviorem per *ad* coniecturam, cum vel in nostra lingua praepositionis supersint vestigia adtributae numero, fateor, non certo sed potius ingenti atque indefinito : Moerent paien *a* milliers e *a* cenz. Rol. 1417. — Paien sunt mort *a* milliers et *a* fuls. Ib. 1439. Sed, etsi vestigia occurrant, arbitror reapse particulam *ad* in latinitate aevi merovingici per se non posse iam signare relationes numerales, id est adpropinquationem quae fit ad numerum pro termino habitum.

II.

a) Transeamus nunc ad adpropinquationnem ex comparatione provenientem. Aptior est enin praepositio *ad* si figuratam movendi rationem signare velis, qua res ad alteram refertur ut appareat discrimen vel similitudo. Inde comparandi notio, quae non semel apud Latinos declaratur particula idem propre valente ac graeca particula πρός, ut in his : Estne, ut fertur, forma? Sane. At nil *ad* nostram hanc. Ter. Eun. 361. — Cognovimus virum bonum et non illiteratum, sed nihil *ad* Persium. Cic. de orat. 2, 6. — Nihil *ad* Coelium sed potius *ad* antiquorum languorem atque inscientiam. Id. de leg. 1, 2. — Ut unum *ad* decem, sic decem *ad* centum. Quintil. 5, 11, 34. Cuius rei per se satis illustratae proferam statim exempla quaedam, ut appareat quo simillimo modo construxerint interdum Patres Gallici orationem : Non potest comparari quasi *ad* aliud. Cl. Mam. de statu, 1, 29. — Quod est lapis *ad* inanimum vivens, hoc est inanimum vivens *ad* animatum vivens. Id. ib. 1, 23. — Unius *ad* unum et duorum *ad* duo, et trium *ad* tria summa aequalitas est. Id. ib. 2, 5, 2.

b) Ex comparandi notione ita per locutionem *esse ad* apertissime signata licet ad sensum praepositionis *ad* venias, quem recentiores grammatici interdum verbo parum latino *respectu* indicant, et quem satius erit forsan si in formulam *quod adtinet ad* (gallice *relativement, par rapport à*) explicaveris. Vim enim illam perspicue declarat praepositio inprimis post adiectiva nomina, sed quasi exclusa comparatione, in his : *Ad* rationem sollertiamque praestantior. Cic. de nat. deor. 2, 62. — Quod est lenius *ad* severitatem. Id. in Catil. 1, 5. — Mentis *ad* omnia capacitas. Id. Tusc. 3, 5. — *Ad* cetera egregius. Liv. 37, 7. — Mulier callida et *ad* huiusmodi flagitia perastutula. Apul. met. 9, 5. — Durus videbatur ex philosophiae institutione Marcus *ad* militiae labores atque *ad* omnem vitam. Capitol. M. Ant. 22. — Inter has exiguas *ad* tantam rem moras. Amm. Marcell. 25, 5, 4. — *Ad* omnem iniuriam impatiens. Hieron. VHilar. 5 (1).

Usi sunt autem eo sensu Patres Gallo-Romani ad relationem signandam post adiectiva, sed ratione, fateor, parum discrepante cum ipsorum Latinorum consuetudine vel reliquae latinitatis ecclesiasticae. Accedant nihilominus exempla quaedam : Caecus hic *ad* gloriam Dei. Hilar. de Trin, 6, 48. — *Ad* omnes istius mundi fortunas et voces surdi simus et caeci. Paul. Nol. ep. 41, 2. — Carne igitur infirmi *ad* profectum spiritus. Id. ib. 5, 12. — Mens *ad* tam clari titulos angusta patroni. Paul. Petr. VSMart. 5, p. 1056, A. — *Ad* omne opus bonum reprobi. Salv. de Gub. 4, 86. — Cicatricatum pectus *ad* veniam. Sidon. ep. 6, 1, p. 158.

Apud eosdem scriptores vel in documentis aetatis merovingicae particulam *ad* aliquando reperire est declarantem *quod adtinet ad,* pendentemque e verbo aut e propositione tota, ut in his : Voluntas *ad* naturam eadem est, quae ad nativitatis significationem distinguitur in voluntate. Hilar de Trin. 9, 74. — Vos *ad* dispositionem piissimae voluntatis corporis inaequalitas impedivit. Avit. ep. 64, p. 88, 15. — *Ad* communionem omnium aecclesiarum excommunicatus appareat. ChM. 559, a. 739, p. 378. — Ut *ad* iugum mundi colla mentis excuciant. Ib. 344, a. 662, p. 123. — *Ad* iucum servitudinis tibi absolvemus. Form. And. 23, p. 11, 38. — *Ad* ingenuetatem capitis eorum debiant permanere ingenui. Ib. 59, p. 25, 20.

---

(1) Cf. insuper Tursellin., cap. 8, § 2, 10 ; Draeger, *Hist. Synt.*, t. I, p. 581.

— Sto si ficerit exsuit se *ad* latrocinium. LSal. 2, 43 (*de latrocinio* cod. 1 et cet.). — *Ad* munitionem viarum pro modo patrimonii nullum penitus excusari. LBurg. P. 17, 1. Sed haec aliaque huiusmodi exempla in quibus aperta comparandi notio periit, tribuenda videntur imitationi syntaxeos latinae : sensus enim discrimen subtilius notabant quam ut in vulgarem ac cotidianum sermonem irrepere possent.

III.

a) Ex eadem vero comparandi notione orta est altera structura quae, cum ratione minus obliqua procedat, maiore postea momento viguit : adsimilationem dico quae inter rem fieri potest et conditionem quandam externam. Hac enim notatur conformitas, et inde modus quadantenus, sed non exclusa movendi notione, cum res non in se modum intrinsecus contineat, sed alteri quasi posita iuxta adsimiletur et conformetur.

Fuit profecto apud scriptores vel bonae aetatis Romanos frequentissimum ut praepositione *ad* uterentur ad hanc convenientiae relationem indicandam et *secundum* prope valente : *Ad* hoc exemplum. Plaut. Pers. 335. — *Ad* similitudinem bellicae disciplinae. Cic. de nat. Deor. 2, 64. — *Ad* effigiem iusti imperii. Id. ad. Qu. fr. 1, 1, 8. — *Ad* virium proportionem. Plin. 24, 46. — *Ad* rationem et loci et temporis. Plin. Iun. ep. 3, 18, 1. — Graviter se et *ad* Marci mores egit. Capitol. Verus, 4. — *Ad* quorum exemplum ocreati sunt equites. Veget. 2, 1.—*Ad* antiquae virtutis imitationem facile conroborare possit exercitum. Id. 1, 28. Adde quod iidem hanc conformitatis notionem iam saepius ad voluntatis significationem referant locutionibus *ad nutum, ad arbitrium, ad votum,* aliisque huiusmodi usurpatis : *Ad* meum sensum. Cic. ad fam. 15, 6. — *Ad* voluntatem nostram. Id. de off. 1, 26. — Si qua res non *ad* nutum aut *ad* voluntatem eius facta sit. Caes. BG. 1, 31. — *Ad* suum arbitrium imperare. Id. ib. 1, 36. — Honores *ad* libidinem cepit et dedit. Suet. div. Iul. 76. — *Ad* praetextum mutatae voluntatis dicta factaque quorundam calumniatus. Id. Aug. 12. — *Ad* ipsum praescriptum divinae promissionis ornatum. Apul. met. 11, 12. — *Ad* obsequium numinis. Mart. Cap. 1, 75. — Prudentioribus non *ad* nutum voluntatis obtemperantibus. Augustin. confess. 1, 7 (1).

(1) Cf. insuper Draeger, *Hist. Synt.*, t. I, p. 580.

b) Nobis nihil aliud observandum erit nisi eodem sensu particulam in merovingica latinitate adhiberi. Exempla tamen, quanquam ad vim praepositionis simillimam spectantia in duas classes distribuenda censeo, cum posteriora voluntatis significationem quandam denotent, priora vero ad usus praepositionis *secundum* diversissimos extendantur :

1° *Ad* similitudinem auctoris tui factus, non *ad* aequalitatem. Cl. Mam. de statu, 1, 26. — Adeo *ad* catholicam comparationem hoc praestat metallis ignis, quod sensibus fides. Avit. ep. 7, p. 39, 4. — Hominem *ad* suam imaginem similitudinemque plasmavit. Greg. Tur. HF. 1, 1.—Pensato ergo auro argentoque *ad* filii sui pondus. Id. VM. 1, 11. — Moxque *ad* omnem aequalitem cerae ipsius species se divisit. Fortun. VSHil. 2, 11. — Facta candela *ad* mensuram suae staturae. Id. VSRad. 32. — Elatus *ad* modum regis. Fredeg. 87. — *Ad* similitudinem conscribere. Form. And. 41, p. 18, 25. — De intestatorum successione *ad* senatusconsultum Tertullianum. LBurg. P. 28, 3. — Valentem *ad* aestimationem solidos C. ChM. 180, a. 572, p. 140. — Virgas paratas habere debet quae *ad* magnitudinis minoris digiti sunt. LSal. 3, 40, 7. Iunge insuper quae ad desigandum pretium adtinent specimina : Commercio tali discrepante mercatu, quod aliis illud *ad* pretium, hoc nobis inemptum. Fortun. carm. 5, 1, 5. — Nec *ad* pretium nec *ad* donum non cupimus tale anone. Form. rhythm. 1, p. 221, 3. — Speciebus *ad* istum pretium. Capit. KM. a. 797, p. 72, 41.

2° De gente minores *ad* sua vota legant. Paul. Nol. poem. 20, 332. — *Ad* mea ipse verba damnabilis. Sidon. ep. 6, 1, p. 157. — Liber *ad* arbitrium. Cl. Mar. in Gen. 1, p. 942, A. — Oblationes... *ad* potestatem episcopi redigantur. CAG. conc. Aurelianense 3, a. 538, can. 5, p. 249. — Non *ad* iudicium suum Ecclesiae res exteras derelinquat. Ib. conc. Parisiense 3, a. 557, can. 3, p. 315. — Non *ad* patris votum thalamo datur sed tumulo. Fortun. carm. 10, 2, 9. — Regale *ad* votum felicia cuncta sequantur. Id. ib. app. 7, 15. — Calcea te *ad* animum tuum. Act. Mart. act. S. Fructuosi, 1, p. 219. — *Ad* vestro consensu decrevistis. Form. Bit. 19, p. 179, 7. — Donationem *ad* ius suum valeant revocare. ChM. 188, a. 579, p. 147 (1).

---

(1) Non possum autem quin silentio praeteream hoc sensu praepositionem *iuxta* frequentius a scriptoribus Merovingicis usurpari. Quod quidem iam apud

c) Huc quoque sunt referendae locutiones quae plus minus adverbialiter positae adiuncta *ad* particula convenientiam indicant.

Notemus inprimis *ad instar*, quod pro *instar* positum iam vergente latinitate non sine exemplis : *Ad instar* proprietatis non *ad instar* possessionis. Ulp. Dig. 6, 2, 7. Apud Gallos : *Ad* usque puncti tenuis *instar* quaerere. Aus. 20. Sept. Sap. 143. — *Ad instar* patris diligitur. Fredeg. 85. — *Ad instar* institutionis monasterii Sanctorum Agaunensium. Id. 1.

Proxima sensu formula *ad vicem* pro *vice* usurpata iam apud sequioris aetatis scriptores invenitur : Maiores natu a minoribus colebantur *ad* deum prope et parentum *vicem*. Gell. 2, 15. Multo frequentior autem in Chartis ac Formulis merovingicis : Viro illustri Landegisilo, qui *ad vicem* illustrae matronae Teudilanae. ChM. 253, a. 631, p. 9. — *Ad vicem* codicellorum valere eum volo. TBert. p. 255, 2. — *Ad vicem* meam. Form. And. 1, p. 4, 24. — Quicquid exinde *ad vicem* nostram egeris. Ib. 1, p. 4, 28. — Quod si illi aut aliqua persona *ad vicem* suam ipsa causa resultare presumpserit. Ib. 5, p. 6, 27. — *Ad vicem* genetore suo. Ib. 10, p. 8, 17. — Causas meas *ad* meam *vicem* prosequere. Form. Tur. 45, p. 159, 7. Adde eodem sensu positum : *Ad specie* mea fuisti. Form. And. 37, p. 16, 31.

Sed nullum in documentis iisdem usitatius invenies dicendi genus quam *ad partem*, particulae *pro* vel *loco, instar* (gallice *pour, en place de*) vicem gerens : Italia *ad partem* imperatoris capta. Greg. Tur. HF. 4, 9. — Memoratus abba vel successores sui ibidem consistentes, *ad partem* ipsius monasterii valeant possidere. Dipl. Reg.

---

auctores sequioris aetatis reperitur : *Iuxta* praeceptum Themistoclis. Iustin. 2, 12. — Conviviumque *iuxta* regiam magnificentiam ludis exornat. Id. 12, 3. — *Iuxta* naturam. Apul. dogm. Plat. 2, 26. De quo cf. ceterum Draeger, *Hist. Synt.*, t. I, p. 587. Accedant quoque nonnulla exempla e Merovingicis ducta : *Iuxta* senis imperium aspicientes de muro. Greg. Tur. HF. 2, 7. — Ad locum accedentibus *iuxta* imperium regis. Id. ib. 2, 37. — Fecit *iuxta* quod ei praeceptum fuerat. Id. ib. 3, 14. — *Iuxta* relegionis norma perpetim valeant resedere. Form. Marc. 1, 2, p. 41, 18. — *Iuxta* constitutionem pontificum. Ib. 1, 2, p. 40, 22. — Addetum... *iuxta* quod eorum continet privilegium. Ib. 1, 2, p. 42, 2. — Nobis divina pietas *iuxta* votum fidelium... habere concessit. Ib. 1, 39, p. 68, 12. — *Iuxta* pollicitatione devina. Ib. 2, 1, p. 71, 21, etc. Cf. in v. gall. usum particulae *joste, jouste*.

39, a. 662, p. 36, 39. — Memoratus Chagno abba *ad parte* predicti monasthiriae suae sancti Dionisiae per hanc nostram cessione in lumenarebus ipsius basilici habiat concessa adque indulta. Ib. 57, a. 688, p. 51, 45. — Ipse pontifex sub eodem modo *ad partem* ecclesiae possidere videatur. Form. Marc. 1, 16, p. 53, 26. — Duodecim solidos inde recipiat *ad partem* regis. Capit. KM. a. 797, p. 71, 31 (1).

Separatim vero notandam puto *ad invicem* formulam, quae ex adverbiali nomine concinnata iam a Patribus ecclesiasticis usurpatur : Quae relative *ad invicem* dicuntur. Augustin. de Trin. 7, 12 (2). Apud Merovingicos et Karolinos : Aiunt *ad invicem*. Greg. Tur. GC. 76. — Frementes *ad invicem*. Id. VM. 1, 29. — Dicentes *ad invicem* domnum Germanum se vidisse. Fortun. VSGerm. 67. — Consentientes *ad invicem*. Fredeg. 89. — *Ad invicem* sibi adversantur. Form. SM. 18, p. 248, 16. — Dixerunt *ad invicem*. GRF. 3, p. 543, B. — Clericis *ad invicem* altercantibus. Capit. KM. a. 794, p. 77, 3. — *Ad invicem*. Capit. KC. a. 851, p. 409, 41. — Ib. a. 857, p. 456, 29. — *Ad invicem* gaudentes. ARF. p. 45, B.

d) Si denique ad veterem gallicam spectaveris linguam, quae tibi quasi speculum usus vulgaris esse possit, hanc prorsus observabis locutiones adverbialiter positas non retinuisse, utpote ad barbaram instrumentorum et iuridicam latinitatem potius adtinentes ; vix etiam praepositione *à* signavisse convenientiae vel adsimi-

---

(1) Distinguendi vero sunt eiusdem loquelae usus, qui tantummodo ad locum ut in his spectant : Hoc testimonium *ad* quam *partem* protulisti? Arn. de Deo, 1, 12. — *Ad* suam *partem* contradicerent. Dipl. Reg. 41, a. 663, p. 39, 7. — *Ad* utramque *partem* sint ternas personas electas, ut nec conludius fieri possit. Capit. M. 3, a. 511-58, p. 6, 6. Hoc enim solo sensu in vulgarem ac postea in romanicam linguam locutio irrepsisse videtur : Itels vint milie en mist *a une part*. Rol. 1115. — Traistrent *a une part*. Villeh. 117. — *A une part* iras tos seus. Rose, 2284. Immo distingue usum quo saepius *ad partem* in chartis merovingicis usurpatum videtur ad ornandam tantum periphrasin et idem valet atque *ad* insequente nomine quodam, praesertim post verba dandi et tradendi : Remanserat *ad parte* supradicta matrona Theudilane. ChM. 253, a. 631, p. 10. — De rebus suis *ad* Dei *partem* aliquid committat. Ib. 485, a. 713, p. 293. — Insuper *ad partem* fisci auro uncias tantas, argento libras tantas coactus exsolvat. Form. SL. 13, p. 276, 18.

(2) Cf. Roensch, *Itala und Vulgata*, p. 232, qui nonnulla profert exempla locutionis e codicibus Librorum Sacrorum variis ducta.

lationis relationes, nisi illam quae fit per accommodationem ad nutum quendam voluntatis. Hic enim sensus frequentissime declaratur : Sire, *a* vostre cumant. Rol. 946.— Li emperere ad tut *a* sun talent. Ib. 400. — Faire en poëz del tout *a* vo talent. Amis, 3004. —*A* leur voloir eurent armes et seles. Aliscans, 777. — Dame, *a* vo volenté. Huon de B. 5871. — Puis a Huon pourvëu *a* son gré. Ib. 5912. — Nule riens n'est tant *a* mon desir. Couci, 19. — Il me servist *a* gré. Th. le mart. 54. — Ne savés s'il est *a* mon vuel. Houce partie, 287. — Au roy enseigna en son sermon comment il se devoit maintenir *au* grei de son peuple. Joinv. 659.

Neque dubium est quin his omnibus dicendi formulis genuina, a qua profecti sumus, movendi notio prope disperiisse videatur : nam hic praepositio minus iam declarat motum quo alicuius opinioni vel voluntati accedas, quam ipsius motus effectum, congruentiam scilicet quodammodo expressam inter duas res. Quare arbitror, ut infra resumam, has conformitatis relationes non sine momento fuisse ad ipsius modi declarationem. Inde etiam probatur quam arctis inter se cohaereant vinculis semper varii praepositionis *ad* usus, vel quantus potius in hac syntaxeos latinae dissolutione labor intercesserit impetu quodam naturae, ut sensus prope disperditos ad praevalentes loquendi conformationes religarent, ut quasi resarcirent ruinas et pensando damna temperamentum novum ex aequo librarent.

PARS POSTERIOR

PROXIMITAS PER POSITIONEM NOTATVR

CAPVT I.

DE PRAEPOSITIONE *AD* LOCALI ET TEMPORALI EXCLVSA MOVENDI NOTIONE.

Hucusque varios praepositionis *ad* usus in ordinem digerere tentavimus quibus signatur ex accessione proximitas, sive recte id fiat per translationem ad terminum, sive obliqua ratione per adtributionem ad locum aut ad personam, sive etiam figurate per deputationem ad finem quendam vel concurrente comparandi notitia. Nunc ad sensus particulae venio qui proximitatem indicant ex initiali positione pendentem, nec resumere hic adgredior quas ob causas sensus ille vim localem retinens nec iam translationem sed stationem signans vel in loco vel in tempore e prioribus derivari posse mihi videatur (1). Quare notato hoc inter locum et tempus discrimine exempla actutum proponam : quod vero ad locum adtinet, non possum quin praepositionis *apud* tum in Latinis tum in Merovingicis scriptoribus usu simillimo adhibitae rationem habeam.

I.

a) Optimi scriptores proximitatem quae spectat ad locum quendam saepe apud Latinos praepositione *ad* declaraverunt : nam *ad urbem, ad portam esse* idem valent ac *prope urbem, prope portam;*

---

(1) De quo cf. supra *Observationes praevias*, p. 19.

et cum dicatur : *Ad Cannas pugnatum est,* subaudi *in loco parum distante.* Adsint exempla : *Ad* flovium. Garrucci, 919, 12. — *Ad* urbem cum esset, audivit. Cic. in Verr. 4, 8. — Pugna navalis *ad* Tenedum. Id. pro Mur. 15. — Habes hortos *ad* Tiberim. Id. pro Coel. 15. — *Ad* fontem cervus, cum bibisset, restitit. Phaedr. 1, 12, 3. Eodem sensu : Quid *apud* hasce aedis tibi negoti est? Plaut. Amph. 350. — Moriens *apud* Mantineam Epaminondas. Cic. ad fam. 5, 12, 5. — Castra habuerat *apud* Issum Alexander. Id. ad Att. 5, 20, 3 (1).

Sensus discrimen quo notatur tantum propinquitas non in ipso loco statio, superesse liquet in latinitate merovingica tum apud poetas classicorum auctorum imitatores, tum etiam in barbarioris notae instrumentis: Dicitur... *ad* commune fretum satyros vitreasque sorores consortes celebrare choros. Aus. 18. Mos. 178. — *Ad* Boream pugnas, et formidaris ad Austrum. Sidon. carm. 2, p. 296. — Coeperat *ad* rupis medium, quae maxima turba est, interno squalere gelu. Id. ib. 5, p. 325. — *Ad* gremium sacri nemoris, quod silva coronat, fons scatet. Cl. Mar. in Gen. 1, p. 943, D. — Cum prati mediate *ad* ipsum Ruivilionem. TBert. 260, 2. — Stantes *ad* portam. Greg. Tur. HF. 7, 38. — *Ad* meridianam plagam habitabant Romani. Id. ib. 2, 9. — *Ad* pedes antedicti martyres est sepultus. Id. ib. 2, 11. — Aures meae *ad* os tuum erant. Id. ib. 2, 1. — Sunt autem et *ad* Levidam civitatem aquae calidae. Id. GM. 17. — Columna, *ad* quam verberatus est Dominus. Id. ib. 6. — Magna est enim virtus *ad* antedictorum martyrum sepulchra. Id. ib. 75. — De sopore expergefactus interrogat *ad* caput eius quis fuit? Fortun. VSGerm. 61. — *Ad* sepulcrum illud sanctum mirae virtutes ex ipsa die... ostenduntur. Fredeg. 22. — Nec inter sentes, aut *ad* arbores sacrivos, vel *ad* fontes vota exoluere. CAG. conc. Autisiodorense, a. 578, can. 3, p. 362. — Positu est *ad* sanctos. ICG. 41, Lyon. — *Ad* nunc marturibus sedem tribuentibus aptam. Ib. 412, Vienne. — Quid de hominebus fuit *ad* portas paradesi? Ioc. Mon. 8. — Pauperes qui *ad* ipsa loca sanctorum alimoniam expetunt. Dipl. Reg. 27, a. 664, p. 27, 18. — *Ad* ipsa cruce visi fuerunt stetisse. Form. SB. 13, p. 233, 8. — Taliter ei fuit iudicatum... ut *ad* crucem ad iudicium Dei pro ipsa terra in noctis XLII

(1) Cf. Draeger, *Hist. Synt.*, t. I, pp. 577, 584.

in ipsa placita pro hoc deberent adstare. Ib. 13, p. 233, 4. In vetustiore etiam gallico sermone *à* vim localem praepositionis *prope* retinuit : Sur un escut l'ad *as* altres culchiet. Rol. 2204. — *As* Innocenz vus en serez seant. Ib. 1480. — *A* son chief a son fort escu couchié. Amis, 934. — *Al* aviron seir. Ib. 2680.

Observ.) Separatim huc referam formulas in lingua iuridica usitatiores, in quibus *ad* idem ferme valet atque *ante*. Apud Latinos : *Ad* cos. profiterei oportebit. Lex Iulia, a. 709, Garrucci, 1060, 1. — *Ad* senatum stare. Cic. acad. 2, 45. — *Ad* praetorem reus factus. Liv. 38, 55. — Demetrium *ad* patrem accusavit. Id. 40, 24. Apud Merovingicos vero sive in iuridica sive in ecclesiastica lingua : Disputator *ad* Cleanthen stoicum. Aus. 16. Prof. 16, 11. — Non suo *ad* Scribam, sed Prophetae testimonio usus est. Hilar de Trin. 9, 27. — Si pulsati fuerint, sequi *ad* saeculare iudicium non morentur. CAG. conc. Epaoneuse, a. 517, can. 11, p. 196. — Dum (calix) per diaconem *ad* sanctum altare offerretur. Greg. Tur. GM. 45. — Quod *ad* ipso altario in Dei nomine fuerit oblatum. ChM. 344, a. 662, p. 124. — Si quis *ad* regem innocentem hominem absentem accusaverit. LSal. 1, 18. — Si quis *ad* mallum legibus dominicis mannitus fuerit. lb. 1, 1, 1. — Rex *ad* quem manitus est. lb. 3, 56. — Si hoc *ad* aliis iudicibus inquisitum fuerit. LAlam. 1, 41, 3. — Cum testamentum meum *ad* omnis et comprovincialibus meis fuerit apertum. TBert. p. 263, 1.

b) Ceteroqui fuit apud Latinos usitatius vel florentissimae linguae saeculis ut non ad propinquitatem tantum indicandam praepositione *ad* uterentur sed ad signandum quoque locum ipsum in quo situm est vel fit aliquid, immo ad signandam personam (1). De qua re tamen veteres grammatici inter se parum convenire videntur, nam nimia, ut puto, severitate ita Sergius : « Per praepositiones sic fiunt soloecismi, cum alia pro alia aut supervacua ponitur aut necessaria subtrahitur, ut apud Lucilium : Hymnis cantando quem adservavisse ait ad se, pro apud se » (*Sergii Explan. in Donatum,* lib. II, K. t. IV, p. 564, 14). Rectius autem haec Cledonius : « Ad vero et in loco et ad locum significat : nam dicimus et « ad amicum sum » et « ad amicum vado », sicut etiam Tullius

(1) Cf. Tursellin., cap. 8, § 3, 1, 2; Draeger, *Hist. Synt.,* t. I, p. 577; Wölfflin, *Bemerkungen über das Vulgärlatein,* p. 143 (*Philologus,* t. XXXIV).

posuit in prima actione (in Verr. 1, 8) « decem fiscos ad senatorem illum relictos », item ipse in invectivis (in Catil. 1, 8) « ad M. Lecam te habitare velle dixisti » (*Cledonii Ars,* K. t. V, p. 77, 4). Cum autem ita grammatici inter se discrepent, operae pretium erit si, antequam aetati accedamus barbarae, exemplis ex ipsa latinitate depromptis praepositiones *apud* et *ad* commonstraverim usu simillimo positas ut signetur locus in quo fit aliquid :

1° *Aput* Orcum te videbo. Plaut. Asin. 606. — *Apud* forum. Ter. Andr. 302. — *Apud* villam est. Id. Ad. 517. — *Apud* viros bonos gratiam magis quam optamus consecuti sumus. Cic. ad Att. 4, 1. — Vir eruditus *apud* patres nostros. Id. pro Mur. 36. — *Apud* insulam Rhodum. Tac. ann. 2, 55. — *Apud* urbem Nolam. Id. ib. 1, 5. — Ortus *apud* municipium. Id. ib. 3, 48. — *Apud* paludes proelia. Id. ib. 1, 64 (1).

2° Imperator non adest *ad* exercitum. Plaut. Amph. 504. — Est nunc *ad* uxorem. Ter. Heaut. 604. — Quem adservavisse ait *ad* se. Lucil. sat. 1, 26. — *Ad* villam fortasse eras. Cic. ad Att. 12, 36. — Fuit *ad* me sane diu. Id. ib. 10, 4, 8. — Qui ante fuerant *ad* Caesarem. Caes. BG. 1, 31. — Neque segnius *ad* hostes bellum apparatur Liv. 7, 7. — *Ad* exercitum manet. Id. 3, 29. — *Ad* inferos iacere dicitur. Hygin. fab. 55. — *Ad* Polydectem morari. Id. ib. 63. — Vadis inermis, gnate, per umbras, *ad* quas semper mansurus eras. Senec. Herc. Oet. 1947. — Idem apud avunculum qui *ad* patrem honos. Tac. Germ. 20. — *Ad* bonum autem Milonem civem vestrum devorto. Apul. met. 3. 5. — Profani vero et qui non integri *ad* Deum. Tertull. Apol. 48. — Corcodrilli parvae magnitudinis quos plerumque *ad* pigmentarios videmus. Iul. Honor. cosm. 47. Et multo qui-

---

(1) Cf. Draeger, *Hist. Synt.*, t. I. p. 583. — Huc etiam referam ne nimis a ceteris segregentur usus nonnullos praepositionis *apud* pro *ad* adhibitae cum movendi notione. Apud Latinos : Viavit *apud* aurificem. Lucil. ap. Non. 522. — Pars navium haustae sunt, plures *apud* insulas longius sitas eiectae. Tac. ann. 2, 24. — Revertere domi *aput* te. Luc. 8, 39 (Cant.). — Abierunt ergo, *apud* se discipuli. Io. 20, 10. (Colb. Corb.) Cf. ceterum Roensch, *Itala und Vulgata,* p. 391. In latinitate vero aevi merovingici vel karolini : *Apud* Albiginsem Galliarum urbem exilio depotatus est. Greg. Tur. HF. 2, 3. — Veniente autem rege *apud* Pictavus. Id. ib. 2, 37. — Quos ipsi metropolitani *aput* se venire iusserint. Capit. PP. a. 755, p. 34, 5. — Conventum fidelium nostrorum *apud* Carisiacum fecimus convenire. Capit. KC. a. 857, p. 451, 35.

dem insolentius illud : Usque ad primogenitum captivae quae est *ad* lacum (= ἐν τῷ λάκκῳ, Vulg. *in carcere*). Hieron. adv. Helv. 1,436 (1).

Quod si inde ad aevi merovingici vel karolini latinitatem transeas, saepissime in scriptoribus praepositionem *apud* reperias urbium praesertim nominibus accommodatam. Cuius rei, cum imitationi Latinorum plus minus depravatae tribui posse videatur, nedum usui vulgari, pauca tantum specimina proponam : *Aput* civitatem Romanam esse. Greg. Tur. HF. 1, 25. — *Apud* Placentiam urbem episcopus ordenatur. Id. ib. 2, 11. — *Apud* Parisius obiit. Id. ib. 2, 43. — *Apud* Andecavam urbem terra tremuit. Id. ib. 6, 21. — *Apud* Parisius. Eginh. VK. 3, p. 90, C. — Synodum publicum celebravit *apud* Paderbrunnen. ARF. p. 44, A.

Neque addubitari potest quin ingruente barbaria huic relationi in ipso loco standi vel commanendi particula *ad* multo plus inservierit. Quamvis hunc usum iam Latini cognoverint, praevaluit sane aetate merovingica in sermone vulgari (2), cum et per se declaratio exclusa movendi notione sit apertior et saepe vel nominibus urbium accommodetur. Haec accedant exempla : *Ad* Mamre querceta pater tentoria figit. Cl. Mar. in Gen. 3, p. 962, D. — *Ad* basilicam beati Vincenti, quam ipse construxerat, est sepultus. Greg. Tur. HF. 4, 20. — *Ad* civitatem vero Turonicam Berulfus dux cum Eunomio

---

(1). Cf. Draeger, *Hist. Synt.*, t. I, p. 577. — Addas etiam licet usus praepositionis *ad* geographicos quam plurimos : 1° in *Notitia dignitatum* (recens. Ed. Boecking, Bonnae, 1839-53, 4 vol.) : Auxiliares Novenses *Ad* Novas. I, p. 105, 13. — Tribunus cohortis *ad* Borgum Centenarium. II, p. 97, 2. —Equites Promoti *Ad* Mauros. II, p. 99, 22. — Tribunus Cohortis Secundae Gallicae *Ad* Cohortem Gallicam. II, p. 119, 15, etc. 2° apud *Itinerarium Antonini Augusti* (edid. Parthey et Pinder, Berolini, 1848) : *Ad* Mercurios, p. 3 ; *ad* Septem Fratres, *ad* Abilem, *ad* Aquilam minorem, *ad* Aquilam maiorem, *ad* promuntorium Barbari, *ad* sex Insulas, p. 4 ; *ad* tres Insulas, p. 5 ; *ad* Salum flumen, p. 6, etc. 3° in *Tabula Peutingeriana*, praesertim in Africa, Numidia ac Mauretania sic indicantur stationes vel urbes : *Ad* Mercurium, *ad* aquas Casaris, *ad* maiores, *ad* Palmam, *ad* Arvalla, *ad* Medera, *ad* Basilicam Diadumene, *ad* Villam Sele, etc. — De cauponariis vero inscriptionibus in Gallia repertis, sicut : *Ad* Ursum pileatum, *ad* Aquilam maiorem, *ad* Dracones, etc., cf. dissertationem cui inscribitur : *Notice sur une inscription antique de Lyon* (Revue du Lyonnais, t. X, p. 280 sqq.).

(2) Cf. Diez, *Gramm.*, p. 877.

comite fabulam fingit. Id. ib. 5, 49. — Invenit et proprios *ad* tua tecta lares. Fortun. carm. 3, 13, 30. — *Ad* quem pauper opem, pretium captivus habebat. Id. ib. 4, 9, 19. — Sic fuit ut iam tum totus *ad* astra foret. Id. ib. 4, 11, 12. — Mulieri praecepit *ad* mansionem se condere. Id. VSGerm. 25. — Sicut *ad* monasthirium sancti Mauricii Agaunis die noctoque tenetur. Dipl. Reg. 19, a. 653, p. 20, 30. — Ibydem *ad* ipso marcado. Ib. 77, a. 710, p. 68, 41. — *Ad* Parisius civetate inter sancti Martini et sancti Laurente baselicis ipse marcadus fuit factus. Ib. p. 69, 17. — *Ad* monasterium sancti Petri habitare. ChM. 328, a. 657, p. 105. — Non aliubi quam *ad* ecclesiam, ubi relaxati sunt, mallum teneant. LRib. 58, 1. — Si quis hominem *ad* domum propriam cum hariraida interficeret. Ib. 64. —*Ad* propria vivere vel sedere. Cart. Sen. 19, p. 193, 16. — Facias, tam in pago tam et in, si necessitas fuerit, *ad* palacio. Form. And. 52, p. 22, 40. — Viro illo, *ad* prefata urbe regolariter,... committere dignitatem. Form. Marc. 1, 6, p. 46, 18. — Karolus rex sedit *ad* Aeresburg. Ann. Fuld. p. 117, a. 795. — Pipinus habuit placitum suum *ad* Wormatiam. ARF. p. 35, E. — Nolumus ut liber homo *ad* nostros brolios operari cogatur. Capit. HL. a. 820, p. 295, 5. — Clericis *ad* supradictam ecclesiam degentibus. Form. Imp. 11, p. 295, 3. — Nullamque detentionem neque *ad* clusas neque in nullo loco eis faciatis. Ib. 37, p. 315, 13. — Illi simulat ut *ad* alium senoirem melius quam *ad* illum acaptare possit. Capit. KC. a. 856, p. 446, 36. Adde quod proximo usu et excluso motu praepositio *ad* localis certam corporis partem interdum designet, ut in his : Truncatum *ad* ipsam iuncturam cubiti brachium. Greg. Tur. GC. 67. — Constrictus catenis *ad* purum corpus ferreis. Id. HF. 6, 6. — Euangelium quod secum habebat *ad* pectus suum. Id. MA. 23.

Simillimo equidem modo praepositio *à* gallica declaravit postea sensum in loco standi : *A* curt fust. SLéger, 8. — Il ert *ad* un perrun. Rol. 2556. — Or fu Amis *a* la cort son parrain. Amis, 2499. — Touz les princes qu'il pot *a* sa terre trover. Saxons, 13. — *A* la maison Symon se gist Berte. Berte, 1365. — Ot un tornoi en Champaigne *a* un chastel. Villeh 3. — Fu enterrez *a* une yglise. Id. 200. — Li dux de Venise ere *a* ostel. Id. 259. Cum urbium nominibus : *Ad* Ostedun. SLéger, 24. — *Ad* Ais. Rol. 52. — *A* Cordres. Ib. 71. — *A* Soisons. Villeh. 11. Si denique partem corporis quandam signare velis : Lo fer que *al* laz og. Passion, 40. —

Dos *a* sos laz penden lasruns. Ib. 71. — Lubias iert *a* ton destre costel. Amis, 1076. — *A* son col pent un fort escu listé. Ib. 1446.

Observ.) Huc refer dicendi genus *servire, deservire ad,* frequentius in instrumentis ecclesiasticis quam ut exempla saltem quaedam non proferam : Clericos qui *ad* ipsa oratoria deserviunt. CAG. conc. Cabilonense, a 650, can. 14, p. 492. — *Ad* ipsum templum Domini quod nos edificamus deserviat. Dipl. Reg. 5, a. 556, p. 8, 4. — Monachis deservientibus *ad* basilicam domni Dyonisii. Ib. 16, a. 635, p. 18, 24. — Coram sacerdote qui *ad* ecclesiam deservit. LAlam. 1, 1, 1. — *Ad* baselica illa, (aut) monasterio, deservire deberit. Form. Marc. 1, 19, p. 55, 16. — Custodes qui *ad* ipso sancto loco deservivunt. Form. SB. 18, p. 235, 6. — Religiosos, qui *ad* ipsum oratorium deserviunt. TBert. p. 258, 2.

Huc quoque refer formulas Latinis non ignotas *ad cenam, ad lectum,* etc. : Dum *ad* caenam cum amicis suis aepularet. Greg. Tur. HF. 3, 30. — Solitus non amplius donasse... quam unum treantem coco qui servivit *ad* prandium. Id. VP. 6, 3. — Quod eam *ad* mensam rex quaereret. Fortun. VSRad. 7. — Cum suum monachum per duos annos febribus decubantem *ad* lectulum visitaret. Id. VSGerm. 58. — *Ad* mensam nostram quando servierit. Capit. KM. a. 800, p. 85, 15. Quod etiam adservatur in gallico nostro postea sermone : *A* une table sont assis. Amis, 1601. — Il le faisoit mangier *a* sa table. Joinv. 31.

II.

Designationi proximitatis e positione provenientis adiungere decet formulas concurrente *ad* praepositione concinnatas, quae, non exclusa interdum omnino movendi notione, si ad originem adtenderis, signant plus minus aut propinquitatem rei ad alteram, aut in loco stationem, aut positionem quandam corporis. Neque dubium videtur quin istae locutiones ortae sint e vulgaris latinitatis usu, cum maximo postea momento praevaluerint in gallica nostra lingua : sed rem diiudices oportet e paucis admodum quae supersunt vestigiis.

a) Seiunctim inprimis proponam formulam signandae propinquitati constantem e praepositione *ad* iuncta cum *prope*, quasi declarando sensui *ad* per se iam non sufficiat. Quam quidem notabilem

arbitror, cum in deterioribus aevi merovingici instrumentis detegatur, cumque hic solum superadditam alteri praepositioni particulam habeas. Duo tantummodo mihi sunt in promptu specimina : In Samarciago *ad prope* Cenomannis civitate. TBert. p. 256, 2. — Mansionem *ad prope* ipsam Iona. ChM. 300, a. 642, p. 70. Inde quidem ortum est romanicum nostrum *aprof* (var. *apref, apruef, aproef*), sed sensu interdum mutato et idem fere valente atque gallicum *après*, ut ex his patet locis : Tute sa brunie *aprof* li ad desclose. Rol. 1577. — Si altre veinged *aprof* dedenz l'an. Lois de Guill. 5. — Si alquens vienged *apref* pur clamer la cose. Ib. 6. — *Apruef* mei lungement vivrez. Tristan, 2, p. 78.

b) Enumerandae sunt etiam aliae locutiones plus minus adverbialiter positae, sed distinctionibus intercidentibus :

1° *Ad terram*, quam Latini nusquam adhibuerunt, nisi adiuncta movendi notione, ut in hoc : Adfligam *ad terram* te. Plaut. Rud. 1010. Posuerunt etiam saepius genetivum, sed pro obsoleto locali casu : Terrae procumbere. Ovid. met. 2, 345. — Humi procumbere. Verg. Aen. 5, 481. Apud classicos auctores dicitur excluso motu : *humi iacere ;* sed apud scriptores contra Merovingicos occurrit praepositio *:* Iacens *ad terram*. VEuphr. 21. Simillima in veteri nostra lingua ratione : Lo sags *a terra* curr. Passion, 32. — Li quens Rollanz veit l'arcevesque *a tere*. Rol. 2246. Huc etiam referre liceat classicam Latinorum *domi* formulam, quam in exemplis supra citatis deturbatam vidimus locutionibus *ad domum, ad mansionem*.

2° Locutiones sunt quoque usitatiores, quae proximitatem duarum rerum vel personarum signant, ita concinnatae ut nomine iterato intercidat particula *ad*. Quarum quidem occurrit unum quoddam exemplum perspicuum in Paulini Nolani epistulis : Cum caeli rege loqueretur *facie ad faciem*. Paul. Nol. ep. 49, 12. Si vero fictam ad similitudinem volueris in sermone nostro formulam : Acolé sont estroitement bouce a bouce et *face a face*. Floire, 2598. — Il veit Deu *face a face*. Th. le mart. 91. Nec mihi dubitandum videtur quin frequentior fuerit in cotidiano sermone haec coagmentatio verborum rustica, quamvis apud scriptores aevi merovingici detur tantum reperire structurae lineamenta, ut in hoc : *Ad latus* Chlodovechi regis. Greg. Tur. HF. 4, 1. Sed subintelligas licet formulas vulgares *: latus ad latus, brachium ad brachium, manum ad manum, costam ad costam,* aliasque eiusdem modi, quae postea in

gallica lingua perviguerunt : *Bras a bras*. Amis, 2965. — *Main a main*. Ib. 3114. — *Lez a lez*. Ib. 2964 ; Villeh. 212. — *Coste a coste*. Villeh. 236.

3° Exstant deniqne locutiones paulo diversae, quarum origo obscurior videatur, cum hic etiam deficiant specimina vulgaris latinitatis. Locutiones dico a citatis hucusque in eo discrepantes ut propinquitatem minus declarent quam in spatio positionem quandam corporis, sed exclusa quoque movendi notione, sicut gallicae nostrae : *à pied*, *à genoux*. Eas equidem arbitror ortas e formulis motum primo signantibus apud Latinos, qui dixerunt : *Ad pedes* desiluerunt. Caes. BG. 4, 12. — Equitem *ad pedes* deduxeris. Liv. 4, 40. Animadverte locutionem simili ratione positam apud Gallicos scriptores : Li message descendirent *a pied*. Rol. 120. — *A pié* descent dou bon cheval. Amis, 922. Sed ita saepius adhiberi debuit in rustica latinitate ut statum tantum corporis in loco permanentis significaret, quod romanicis exemplis probatur : Or fut Hues al pret *a piet*. Gormund, 301. — Sire, *a pied* estes, e jo sui a cheval. Rol. 2138. — Li un *a pié* et li autre a cheval. Villeh. 642. — Vint mille sergenz *a pié*. Id. 21.

Si vero ad formulam *à genoux* spectes, plus etiam depravatum fuisse suspicor usum Latinorum, qui quidem ad alteram personam accessionem significabant in his : Se *ad genua* proiecit. Hirt. BA. 89. — Accidere *ad genua*. Senec. Troad. 691. Sed in cotidiana latinitate ea debuit intercidere confusio ut locutio *ad genua* ad illum qui se proicit referretur. Apud Tertullianum reperias, at praepositione *de* concurrente : *De geniculis* adorare. Tertull. de cor. mil. 3. Eodem sensu praevaluit sine dubio praepositio *ad*, quam in gallico sermone invenire est, sive motum aliquatenus locutio indicet, sive corporis immobilis positionem : De davant lui tuit *a genolz*. Passion, 63. — Devant le roi s'asiet *a genoillons*. Raoul de C. p. 26. — Lors se met *a genous*, la terre va baisier. Berte, 972. — Ala devant l'autel et se mist *a genoilz* mult plorant. Villeh. 68.

Iunge quoque praecedentibus formulam vulgarem *ad dentes*, quam coicere licet, etsi depromptum e Latinis hoc unum proferam et praepositione *in* concurrente: Procumbere *in dentes*. Vitruv. 8, 1. Inde vero adverbialis locutio *adens*, quae frequentissime occurrit in nostra romanica lingua : L'uns gist sur l'altre e envers e *adenz*. Rol. 1624. — Sur l'herbe verte s'i est culchiez *adenz*. Ib. 2358. —

Chaït *adent* devant lui. Rois, p. 314. — Sus la terre gisent *adenz*. Beneoit, DN. 16568.

Haec vestigia, quantulacumque sint, demonstrant quam vim in infima latinitate habuerit praepositio ut non translationem modo sed positionem quoque fixam in loco ablata movendi notione signaret.

III.

Facile intelligi potest qua ratione e significatione locali ad tempus praepositio *ad* transferatur. Immo cuilibet rem vel paulo adtentius perpendenti liquebit profecto inter duos usus discrimen fere nullum intercidere, cum rem non loco tantum sed temporis quoque spatio possis adscribere. Huc autem relationes temporales quaslibet referam, cum in illis plerumque, si praesertim ad infimam spectes latinitatem, vix movendi notio superesse videatur.

a) Apud optimos Augusti saeculi scriptores eo modo particula temporis designationi inservit ut non fixum et bene circumscriptum punctum vel diem certam indicet, sed eleganter potius indefinitum tempus accedente praepositionis *circiter* notione. Non semel adhibitam eam reperias ad extendendum infinite annorum terminum intra quos fieri res aliqua possit, ut in his Ciceronianis : Nescio quid intersit, utrum illuc nunc veniam, an *ad* decem annos. Cic. ad Att. 12, 45. — Ne Sampsicerani merita in patriam *ad* annos sexcentos maiora viderentur. Id. ib. 2, 17. — Si *ad* decem milia annorum gentem aliquam urbe nostra potituram putem. Id. Tusc. 1, 37 (1). Quae profecto subtiliora sensuum discrimina non est mirum si ingruente barbaria perierint paulatim et obliterata sint. Huius enim sensus rustica depravatione, ut suspicari datur, praepositionis *ad* temporis continuitatem indefinitam signantis et idem valentis atque *per* exempla occurrunt rariora. Hoc tantummodo perspicuum specimen apud Merovingicos detegere potui : Ipsam rem *ad* viventum tuum per nostro beneficio teneas. Form. SB. 22, p. 236, 26. Sed eo pretiosius quod late postea viguerit repercussa structura in veteri nostro sermone : Or volt que prenget muilier *a* son vivant. Alexis, 8. — Metez le siege *a* tute vostre vie. Rol. 212. —Ne l'amerai

1) De quo cf. Tursellin,, cap. 8, § 2, 3, 4 ; Draeger, *Hist. Synt.*, t. I, p. 579.

a trestut mun vivant. Ib. 284. — Iceste hunte durreit *a* lur vivant. Ib. 1707. — *A* toz jorz. Villeh. 96.

Immo si vel pauca proferam de temporis significatione quae adiuncto motu notet rei alicuius continuitatem ad dictum punctum, observabo Latinos sola *ad* praepositione usos esse, ut in his : *Ad* hoc diei tempus dormitasti in otio. Plaut. Asin. 253. — *Ad* vesperum vivam. Id. ib. 630. — Perpotavit *ad* vesperam. Cic. Phil. 1, 31. — Sophocles *ad* summam senectutem tragoedias fecit. Id. de senect. 7 (1). Sed coicere licet haec dicendi genera in cotidiano et vulgari sermone non fere nisi adiuncta particula *usque* fuisse usurpata. Quod sane probatur his Plautinis locis : Etsi pervivo *usque ad* summam aetatem. Plaut. Capt. 742. — Educatust *usque ad* adulescentiam. Id. ib. 992. — *Usque ad* mortem ut serviat. Id. Epid. 2, 2, 84. — A mane *ad* noctem *usque*. Id. Most. 3, 1, 3. — *Usque* a mane *ad* vesperum. Id. Amph. 253. Usum ob loquendi perspicuitatem adservaverunt Merovingici, cuius multa sunt exempla in localibus ad punctum relationibus. Pauca hic subiciantur de tempore : *Usque ad* interrogationem non loquantur. Sturm. p. 1262, C. — Ab egressu vero filiorum Israel ex Aegypto *usque ad* aedificationem templi. Greg. Tur. HF. 1, 13. — Quae intacta sunt *usque ad* maturitatem. LBai. 14, 17. — De mane *usque ad* vesperam custodivit. Form. SM. 30, p. 253, 2. — Mittatur in carcere *usque ad* satisfactionem. Capit. PP. a. 754, p. 31, 25. Simili postea modo in lingua nostra : N'iert mais tels hum *desques al* Deu juise. Rol. 1733. — Des le matin *jesque al* ure que l'um soleit faire sacrefise. Rois, p. 217. — De lors *jusqu'au* mardi. Berte, 15. — A Dieu reson rendre de quanques fist *dusqu'a* la mort. Ruteb. 1, 38. — Des le commencement de son regne *jusques a* la fin de sa vie. Joinv. 4. — Il nous tindrent *jusques a* soleil couchant. Id. 371.

Unde concludendum videtur, quotiens motus ad temporis punctum subaudiatur, particulam *ad* in infima latinitate vix per se solam potuisse hanc relationem declarare.

b) Dicam contra his saeculis quibus politioris sermonis distinctiones evanuerunt, vulgarem usum ea ratione praevaluisse ut ex incerto et indefinito ad certum definitumque punctum redigeretur

(1) Cf. insuper Tursellin., cap. 8, § 1, 3 ; Kühner, *Gramm.*, § 97, 3; Draeger, *Hist. Synt.*, t. I, p. 578.

temporis notitia quam praepositio *ad* signat : adde perire quoque in his designationibus movendi notionem (1). Apud ipsos Latinos iam sensuum transitionem in his agnoscere possis : Non hic te *ad* mensem Ianuarium expectamus. Cic. ad Att. 1, 2. — Cum magnam partem noctis vigilasses, *ad* lucem denique arcte et graviter dormitari coepisti. Id. de divin. 1, 28. — *Ad* ipsam horam dolonem interiecit. Suet. Domit. 17. — *Ad* idus Novembres Romam regressus. Symm. ep. 2, 11.

Si vero accedas ad merovingicam latinitatem magis ac magis fixum designatur punctum quo fit vel fieri debet aliquid, temporis notione ipsius rei notioni cohaerente : *Ad* mediam fere noctem fremitu terram insultantium commoveri omne monasterium loco visum est. Sulp. VMart. 23, 6. — Trepidat vicinae mortis *ad* horam. Paul. Nol. poem. 34, 123. — Duodecim psalmi expediantur *ad* Matutinum. CAG. conc. Turonense 2, a. 567, can. 18, p. 335. — *Ad* sancta pascha ut baptizaretur expetiit. Greg. Tur. HF. 5, 11. — Transeunt... alii *ad* oram tertiam. Id. ib. 1, 10. — *Ad* horam vero nonam depositus. Id. ib. 5, 49. — Surge crastina die *ad* matutinum. Id. GM. 75. — Nutritas pariter, iunctas regionibus isdem, cur *ad* mortis iter dividis, alte dolor. Fortun. carm. 6, 5, 297. — Exultemus... *ad* beati Nicholai festiva solemnia. Pr. Nich. 1. — Servando ieiunia, *ad* papillas coepit promereri gaudia. Ib. 2. — *Ad* diae filicissimo nupciarum. Form. And. 1, p. 5, 7. — Quantumcumquae *ad* die praesente possedire vidimur. Ib. 25, p. 12, 25. — *Ad* die presente. Ib. 37, p. 16, 35. — *Ad* diem praesentem. Form. SM. 1, p. 241, 14. — *Ad* festivitatem illius candelam unam de cera ad ipsa basilicae transsolvat. Ib. 14, p. 246, 32. — Ipsos *ad* festivitatem sancti illius... exsolvere. Form. SL. 3, p. 269, 9. — In hoc synodali conventu, qui congregatus est *ad* kalendas martias. Capit. MD. a. 743, p. 27, 42. — *Ad* missam sancti Andreae restaurati fiant. Capit HL. a. 823, p. 307, 2. — *Ad* statutam diem et horam venire. Nith. hist. 2, 8.

Eadem ratione praepositio *à* in lingua nostra accommodatur temporali designationi : *A* cels dis. Eulalie, 12. — *A* cel di que dizen Pasches. Passion, 23. — *Al* terz di. Ib. 91. — *Al* tens ancienor. Alexis, 1. — *Al* tens Noe. Ib. 2. — *A* l'altre voiz. Ib. 60. — *Al* sed-

(1) Cf. Diez, *Gramm.*, p. 877.

me jorn. Ib. 116. — Ço est en mai, *al* premier jur d'estet. Rol. 2628. — Vus le sivrez *a* feste seint Michiel. Ib. 37. — *A* icel jur vienent a Sarraguce. Ib. 2645. — *A* un jur Ysaï apelad David. Rois. p. 63. — Lors furent assemblé *a* un dimanche. Villeh. 64. — *A* cel termine se parti Reniers. Id. 311. — *A* deus ans après. Houce partie, 193. — Li sainz roys fu a Corbeil *a* une Penthecouste. Joinv. 35.

IV.

Locutiones adverbialiter positae, quae ad temporis notitiam referuntur, per se satis habent momenti ut eas a ceteris quoque segregem et de praecipuis saltem breviter disseram. Observandum est has locutiones ita concinnari ut praepositioni *ad* adiungatur apud Latinos substantivum nomen vel adiectivum, apud Merovingicos autem accedat etiam adverbium, quod multo magis a consuetudine bonorum auctorum discrepare videatur.

a) Inter usitatissima loquendi genera notanda sunt inprimis *ad tempus* et *ad praesens*.

Locutio *ad tempus* idem apud Latinos valere videtur atque *ad debitum tempus* vel *ad aliquod tempus*, ut in his : *Ad tempus* redire. Cic. ad Att. 13, 4. — Consul *ad tempus* cum praesidio venisset. Liv. 38, 25. — Dux tumultuarius L. Marcius, et militari suffragio *ad tempus* lectus. Id. 28, 42. Sensum apud Christianos poetas aut etiam in Legibus barbaris fere eundem exhibet : Si corpore cessi *ad tempus* fragili. Paul. Nol. poem. 15, 313. — Iustos *ad tempus* surgere tecum iussisti cineres. Sidon. carm. 16, p. 383. — Vacare orationi *ad tempus*. Avit. ep. 4, p. 31, 5. — *Ad tempus* in exilium relegatur. LBurg. P. 18, 5. Non dubium tamen opportunitatem magis ac magis addito certi puncti sensu signatam esse ut in his : Cur nobis ipsam impossibilitatem *ad tempus* non adnuntiavit. Capit. HL. a. 823, p. 306, 31. — Capit. KC. a. 864, p. 498, 41. Inde in gallico sermone : N'i poedent estre *a tens*. Rol. 1841.

Nullam in latinitate aevi merovingici magis adhibitam reperies formulam quam *ad praesens*, praecedenti ceterum adfinem. Quae profecto cum apud Latinos admonente Tursellino (cap. 8, § 3, 2) sit rarior, prope semper apud eosdem ita ponitur ut temporali significationi accedat etiam causale aliquid : Quod, aspere acceptum *ad praesens*, mox in laudem vertit. Tac. ann. 4, 31. — Munimentum

ad praesens, in posterum ultionem. Id. hist. 1, 44. — Omittam *ad praesens* referre. Id. ann. 4, 40. — Cum suus cuique *ad praesens* quisque atrocissimus videatur. Plin. 25, 3, 7. — Ita *ad praesens* plurimum contraxit individiae. Suet. Tit. 6. Infimis vero saeculis locutio perspicue *nunc* significat. Haec exempla sunto : A quibus *ad praesens* repellitur. Prosp. ep. Ruf. 20. — Si enim eo momento *ad praesens* fueris. Greg. Tur. GC. 94. — *Ad praesens* tamen beneficium populis praestat. Id. CS. 11. — In hoc saeculo dicit se *ad praesens* humana regnare fragilitas. Fortun. carm. 10, 1, 29. — Illi *ad presens* adherat. Form. And. 29, p. 13, 29. — *Ad presens*. Form. Marc. 1, 1, p. 39, 11. — Ib. 1, 2, p. 41, 15. — Ib. 2, 23, p. 91, 11. — Eam *ad presens* possidere videtur. Ib. 1, 16, p. 54, 5. — *Ad presente* ecclesia volumus esse concessum. Ib. 2, 4, p. 77, 8. — Quicquid *ad praesens* possidere visi sumus. Form. SL. 12, p. 275, 9. — Neque hoc factum *ad praesens* vindicare poterat. Eginh. VK. 9, p. 93, A. Suspicari tamen licet saepius formulam *in praesente* vulgarem concurrisse, cum haec sensu paulum diverso vetus lingua nostra exhibeat : La fin del siecle ki nus est *en present*. Rol. 1435. — Fors vostre cors que chi voi *en presant*. Huon de B. 5711. — Ki illuec estoient *en present*. Villeh. 548.

Locutionis vero *ad horam* vix occurrit apud Latinos lineamentum in hoc : Quartana *ad horam* venit. Senec. quaest. nat. 2, 16. Sed eiusdem pro *recens* adhibitae (var. codd. lect. *adhora*, *adora*) specimina aetate merovingica occurrunt plurima in Anthimi epistula ad Theudericum regem : In oximelle simplici *ad horam* facto. Anthim. 10. — Si assatum fuerit *ad horam* quomodo bradones. Id. 14. — Qualiter melius comedatur *ad horam* expono. Id. ib. — Aves... si vaporatae *ad horam* occisae. Id. 23. — Duo rustici sic *ad horam* captum comederunt. Id. 25. — Coriandri modico *ad horam* misso. Id. 54. — Si *ad horam* collectae fuerint. Id. 60. Figuratur ad similitudinem formula in occitana lingua veteri : Tu no sabs *aora*. Ev. SJean, 13, Bartsch, 9, 20. Etiam in gallica nostra conferas licet : Josques *a or*. Dial. Greg. p. 433. Inde per contractionem non immerito ortam recentiorem particulam *or* duxeris (1).

His etiam iunge rariora specimina in quibus *ad* copulatur cum temporis adverbio : *Ad hodie*. Greg. Tur. HF. 1, 10, C 1. — *Ad*

(1) De quo cf. J. Cornu, *Romania*, t. VI, p. 381 ; t. VII, p. 358.

semel erupit. Id. ib. 4, 31. — *A tunc (= ad tunc).* HLang. 6, a. 782, pp. 48, 49, *ter*. Nec dubium est quin ea saltem late praevaluerit et in nostra postea lingua genuerit *adonc, donc*.

b) De locutionibus temporalibus apud Romanos celeberrimis *ad ultimum, ad postremum, ad extremum,* aliisque (1) quae sane motum aliquatenus ad terminum indicant, cum usui vulgari adtinere parum videantur, satis hic erit observare easdem apud scriptores Merovingicos nonnunquam usurpari : *Ad extremum.* Sidon. ep. 1, 6, 14. — Greg. Tur. HF. 3, 10. — Id. ib. 8, 19. Adde usitatius vel in mera latinitate *ad liquidum* proximo sensu : Cum *ad liquidum* putaretur spiritum exalare. Greg. Tur. GM. 33. — Omnem labem *ad liquidum* caruerunt. Id. VP. 2, 2. — Nunc *ad liquidum* verum esse patet. Id. ib. 8, 5. — *Ad liquidum* cognoscentes. Capit. KC. a. 853, p. 421, 48. Adde etiam : *Ad occultum.* Greg. Tur. HF. 5, 49. Sed haec classicorum imitationi tribui posse tantum videntur.

c) Si ad paulo diversas sensu locutiones inde transeas, occurrunt *ad integrum* pro *de integro, ab integro, ex integro,* et *ad plenum* pro *plane, prorsus, omnino* : quae quidem vel ad localem relationem referri possint, cum signent terminum quo pergat aliquid, sed genuinam motus notionem plus minus amisisse videntur et mox adverbialiter ponuntur. Harum autem usus nonnullos reperias vel apud novissimos scriptores : Haec est prima incorporea natura, post corporea, sed non pure, nec *ad integrum* carens corpore. Macrob. in somn. Scip. 1, 5. — In ordinanda acie *ad plenum* fuerint eruditi. Veget. 3, 9. — Caelestes causas humana condicio *ad plenum* nosse prohibetur. Id. 4, 40.

Apud Merovingicos haec exempla sunto : Nulla spe *ad plenum* exequendi. Aus. 8. Grat. Act. 13, 62. — Non tamen *ad integrum* fructu carebit. Avit. homil. 6, p. 111, 30. — Sic *ad integrum* sanus. Id. ib. 7, p. 113, 13. — Pene *ad integrum* interfecti sunt. Mar. Av. p. 18, D. — Possidenda *ad integrum.* Dipl. Reg. 27, a. 664, p. 27, 2. — *Ad integra* accepisset. ChM. 253, a. 631, p. 10. — Sed hoc *ad integra* fortiter denecabat. Form. And. 50, p. 22, 10. — Totum et *ad integrum.* Form. SB. 15, p. 234, 4. — TBert. p. 258, 1. — Form. SL. 7, p. 271, 34. — Ib. 16, p. 278, 5. — *Ad integrum* accipere debeatis. Ib. 12, p. 275, 7. — *Ad integrum.* Form.

(1) Cf. Tursellin., cap. 8, § 2, 8; Draeger, *Hist. Synt.*, t. I, p. 578.

Tur. 22, p. 147, 14. Cum adverbio autem praepositioni iuncto, scilicet soloecismo qui, quamvis pauciora exempla vel apud Merovingicos scriptores occurrant, fuit in vulgari sermone satis frequens vergente latinitate, ut e grammaticorum testimoniis suspicari possumus (1) : *Ad plene* non sum inbutus. Greg. Tur. HF. 1, prol. — *Ad plene* immunis. Id. ib. 4, 12. — *Ad plene* expoliata. Id. ib. 7, 22. — *Ad plene* refertae. Id. ib. 8, 30. — *Ad plene* debilitatus. Id. GM. 84. — *Ad plene* debilitatur. Id. VM. 2, 4. — Id. ib. 2, 59. — *Ad plene* sanatus. Id. ib. 3, 59. — Non exinde *ad plene* tegitur mysterium. Id. VP. 8, 11. — Cognoscere *ad plene* non meruit. Id. GC. 100. — Debilitatur *ad integre*. Id. VM. 4, 22. Ex his formula *ad plenum*, *ad planum* usu cotidiano quam maxime valuit, quae ita in sermone nostro repraesentatur : A vespre sont venu sous le vergier *a plain*. Audefroi, Bartsch, p. 234, 5. — De quoi la gent se plaingnent de toutes pars *a plain*. Berte, 1755. — Et lors virent tot *a plain* Costantinoble. Villeh. 127. Nec adeo differt usitatior quoque vulgaris locutio *ad plenitatem*, ut ex his patet : Je te donrai a mengier *a plenté*. Huon de B. 5895. — C'om voit de teux *a* grant *plantei*. Ruteb. 1, 286 (2).

Brevissime ergo quae supra diximus ita contrahi possent :

1° Si ad locum adtendas, praepositio exclusa movendi notione non propinquitatem tantum sed standi et commanendi in ipso loco notionem declarat magis ac magis apud Merovingicos.

2° Si ad tempus, ex infinita et incerta relatione accommodatur saepius ad fixum temporis punctum.

Quae quidem sensuum mutationes, cum fiant simul in infima lati-

(1) De qua re tamen grammatici Latini parum inter se conveniunt. Nempe dicit Diomedes : « Adverbiis addi praepositiones plurimi negant. Sed tamen lectum invenimus in primo, quod est ἐν πρώτοις, et quae dixerunt veteres, a mane et « ab hinc annos decem natus est », quod est « ante decem annos natus est ». Item posthac, antehac, exinde, abhinc, ad usque, ab usque, et poetice de subito, de repente, de improviso. » (Diom. *Art. Gramm.*, lib. I, K. t. I, p. 405, 35.) Haec autem Pompeius : « Legimus praepositionem adverbio non iungi. Numquid possum dicere « de mane » et similia? » (Pomp. *Comment.*, K. t. V, p. 274, 4).

(2) Ceterum de multis locutionibus abverbialiter plus minus positis, quae referuntur ad tempus, locum, modum, et quae in veteri nostra lingua concinnantur concurrente *à* ex adiectivis vel substantivis, interdum ex adverbiis vel participiis, cf. Godefroy, *Dict. de l'anc. Langue française*, t. I, p. 4, col. 2 sqq. Quarum ego nullum in merovingica latinitate lineamentum detegere potui.

nitate, cum non modo in variis structuris, sed etiam in locutionibus adverbialiter positis notari possint, mihi ad unam eandemque referendae progressionem videntur. Eo tendit particula ut non distantiam inter duos relationis terminos plus minus infinitam signet, sed eos utpote copula arctius iungat. Cuius etiam cohaerentiae in insequente capite exempla non ambigua occurrent.

CAPVT II.

DE PRAEPOSITIONE *AD* CONGRVENTIAM ET CONCVRRENTE *APVD* MODVM VEL INSTRVMENTVM SIGNANTE.

Partem disceptationis adgredior obscuram eandemque fingenti cuilibet hypotheses periculosissimam, etsi late pateat campus. Explicandum est qua via et ratione praepositio *ad* e relatione proximitatis localis vel temporalis transierit ad novos sensus et inservierit designando modo vel instrumento quo fit aliquid. Non est enim dubium quin praepositio *à* in veteri nostro gallico sermone hos sensus frequentissime exhibeat, quamvis particula *ad* latina eosdem minime apud bonos auctores declarare videatur.

Altera ex parte documenta aevi merovingici vel deterrima, quantacumque diligentia ea evolveris, te parum de hac sensus explicatione certiorem facient, adeo ut usui linguae vulgaris et cotidianae potissimum referre debeas. Adde quod his difficultatibus et haesitandi causis intercidat argumentum, ut verbo iuridico utar, praeiudiciale : nempe in tanta textuum et exemplorum paucitate a te non immerito petas utrum gallica praepositio *à* modum vel instrumentum signans latinam *ad* reapse repraesentet, an horum sensuum explicatio alterius quoque praepositionis *apud* momento tribui possit.

Si ad ipsam particularum conformationem et ad sonum litterarum adtendamus, observabo inprimis multis de causis addubitari posse quin duarum praepositionum usus nimia unquam confusione laborare potuerint. Quarum prior finalem tantum *d* litteram perdit quotiens consonae voci praeponatur; altera vero varias mutationes admisit, quarum ita series fingi possit tum in septentrionali Galliae regione, tum in Occitania :

Apud, aput { = *apt* = *ap, ab* (Occit.)
 = *apd* = *avd* = *aud* = *od, o* (V. Gall.)

Formam merovingicam et occitanam *ab* reperias in antiquissimis

nostrae linguae monumentis quae dicuntur *Argentorati Sacramenta, Passio Christi, Vita S. Leodegarii;* formam vero recentiorem et gallicam *od* in *Vita S. Alexidis,* in poemate *Hruodlandi,* etc.

Quo mutationum tempore sonus duarum praepositionum adeo similis esse potuerit ut omnino inter se confunderentur, latet. Immo concedendum est utramque vi propria viguisse et adolevisse cum eas distinctione formae notatas in gallico sermone invenias vel tertio et decimo saeculo. Si tamen animadverteris eo etiam tempore *à* et *od, o,* concurrere ad relationes fere easdem signandas, licebit suspicari particulas antiquitus ingruente barbaria promiscue usurpatas esse : opinionem quadantenus confirmabunt documenta aevi merovingici quae non semel, ut videbimus, collatis variis codicum lectionibus usum fluctuantem inter *ad* et *ab* (= *apud*) declarant. Quare, etsi arduum videatur materiam quasi geminam comprehendere et ad amussim redigere, operae pretium est duarum hic praepositionum usus amplecti et quoad fieri potest discernere quo momento utraque in alteram repercusso praevaluerit.

Ad hanc autem concurrentium usuum circumscriptionem accedamus, ut arbitror, licet duabus rebus ita positis :

1° Praepositio *ad* apud Romanos vel in latinitate merovingica eventuum consequentiam et congruentiam signat;

2° Praepositio *apud* in latino Galliae merovingicae sermone peculiarem sibi vindicat sensum et frequentissime pro particula *cum* ponitur.

His tantum expeditis diiudicare erit quam partem utraque praepositio ad declarandum modum vel instrumentum sibi merito adrogare possit.

I.

Ad temporales praepositionis *ad* significationes, de quibus paulo supra diximus, referri debet constructio quaedam verborum, quam in syntaxi latina iam maximi momenti valere iure putes. Nempe fuit scriptoribus ex aetate Ciceroniana usitatum, si duae res inter se notione quadam temporis iungantur, eas in eandem ita propositionem digerere ut alteri particula *ad* praeponatur : quae quidem apud grammaticos recentiores per *congruentiam* structura dicitur (1).

---

(1) Cf. Tursellin., cap. 8, § 2, 5; Draeger, *Hist. Synt.,* t. I, p. 579.

Cuius profecto structurae vim omnem non bene capias et quatenus extendi possit, nisi varios usus distinctionibus necessariis notaveris et subtilius dispertieris.

a) Duo enim eventus inter se vel coniungi possunt si fiant aut fieri debeant uno simul eodemque temporis momento. Nihil aliud observari posse arbitror nisi simplicem congruentiae notionem in his auctorum locis : Te Laodiceae fore *ad* meum adventum. Cic. ad fam. 3, 5, 9. — *Ad* prima ac dubia signa veris profectus. Liv. 21, 58. — *Ad* ea Caesar veniam ipsique et coniugi et fratribus tribuit. Tac. ann. 12, 37. — Ut scirent *ad* quae signa deberent inpedimenta colligere. Veget. 3, 6.

b) Cum autem duae res sibi invicem ita saepe cohaereant ut in alteram prior magnum momentum habeat, particula *ad* rei e qua pendet altera praeponitur et inservit designationi consequentiae : *Ad* singulos nuntios consilia mutat. Cic. ad fam. 10, 32, 2. — Ne Apulia omnis *ad* praesentem terrorem deficeret. Liv. 9, 2. — *Ad* minima momenta mutari. Id. 11, 91. — Seu *ad* metum virium seu *ad* spem veniae cum dedidissent sese. Id. 36, 13. — Tremiscens *ad* strepitum. Ovid. met. 14, 215. — Mater *ad* auditas stupuit ceu saxea voces. Id. ib. 5, 509. — *Ad* omnia fulgura pallent. Iuven. 13, 223. — *Ad* omnes nuntios vultu quoque et incessu trepidus. Tac. hist. 3, 56. — Laeto milite *ad* mutationem ducum. Id. ib. 2, 36. — Tremens *ad* haec. Apul. met. 4, 7. — *Ad* gratiam tamen precantium coerciti sunt aliqui lenius. Amm. Marcell. 26, 10, 7. — *Ad* omnem umbram praetervolantium avium formidare. Hieron. ep. 46, 1. — Sibi erusbescens *ad* unam clementissimam iussionem sine ullo poenali terrore cessavit. Oros. hist. 6, 1, 24. — Oris *ad* imperium submittunt colla chelydri. Ennod. carm. 2, 34, 8. — Haesit *ad* aspectum lampadis. Id. ib. 2, 87, 10.

c) Immo aliquando, etsi raro apud Latinos scriptores, *ad* rem aperte per quam fit altera designat, et prope pro ablativo, qui dicitur instrumenti vel passivis verbis cohaeret, ponitur : Illius *ad* tactum Pylius iuvenescere possit. Ovid. amor. 3, 7, 41. — Illas (conchas) *ad* tactum comprimi. Plin. 9, 30, 48. — *Ad* tumultum expavescentia. Id. 10, 77, 97. — *Ad* casum eius tellure concussa. Id. 8, 40, 61. — *Ad* quorum fremitum accessumque terribilem equis inter initia turbatis. Amm. Marcell. 25, 6, 2. — *Ad* novitatem rei laxatis ordinibus barbari in spectaculum usque resoluti sunt. Fron-

tin. 1, 5, 16. — Pressum pectus angoribus *ad* amoris verba non erigi. Ennod. ep. 3, 2.

Quibus expositis, ut aliud ex alio, transeamus licet ad exempla e scriptoribus Merovingicis ducta. Nec erit ullum prorsus impedimentum quin ad ea ordinanda ratione eadem utamur, cum infima latinitas omnes praedictos usus retinuerit. Observabo tantum congruentiae simplicis notionem praepositione *ad* signatam praesertim apud Gallicos Patres vel apud poetas classicorum imitatores reperiri; constructionem vero quae pro instrumenti ablativo verbis seu activis seu passivis cohaerente ponitur, iam adeo praevaluisse ut ab illo ipso si ad sensum adtenderis, in quibusdam locis vix discerni possit.

a) *Ad* haec cum Martinus taceret. Sulp. VSMart. 24, 8. — Vult nos gratiam Dei non *ad* singulos actus accipere. Prosp. de Grat. 11, 2. — Egi *ad* haec gratias. Sidon. ep. 4, 23, p. 124. — Quidve *ad* hoc sentiant optimi quique. Id. ib. 9, 1, p. 250. — *Ad* haec ille clamare coepit voce magna. Greg. Tur. HF. 5, 49.

b) Continuo *ad* primum sermonis imperium constiterunt. Sulp. dial. 2, 9, 6. — Petras fissas *ad* huius aspectum crucis. Paul. Nol. ep. 31, 1. — Dona salutis *ad* tactum medici paulatim infusa recurrunt. Paul. Petr. VMart. 1, p. 1026, B. — *Ad* famam tanti raptim affluxere magistri. Id. ib. 4, p. 1042, B. — *Ad* nominis tui rumorem personaeque conspectum, exercitum exercitatissimum stupor obruit. Sidon. ep. 3, 3, p. 66. — Laetor *ad* puncta censoris omnium voce concelebrati. Id. ib. 8, 6, p. 221. — *Ad* elevatam vocem deflentium coepit crepitus flammae decedere. Greg. Tur. VM. 4, 47. — Dicerent *ad* preces haec beati viri fuisse largitum. Id. VP. 4, 4. — *Ad* tanti viri famam coeperunt quidam ad eum confluere. Id. ib. 14, 2. — Cuius *ad* imperium transtulit unda locum. Fortun. carm. 3, 10, 28. — *Ad* crucis imperium est ire coacta retro. Id. ib. 10, 6, 46. — Cuius *ad* aspectum sanctus hebet ore represso. Id. VSMart. 2, 293. — Dum *ad* signi sonum in praefatam basilicam ad matutinos se intulisset. Id. VSLeob. 12. — Qui reus et conscius est rei praefatae, *ad* hoc pabulum sanctificati panis... tremat et tremendo palleat. Form. exorc. 5, p. 655. — Si *ad* secundam inquisitionem eum reddere noluerit. Capit. KC. a. 864, p. 492, 18. Iunge insuper verborum constructionem in Chartis vel Formulis merovingicis frequentissimam, qua praepositio *ad* vices implet ablativi conse-

quentiae et vim eandem habere videtur ac *petente, instigante aliquo* : Nos *ad* suggestionem apostolicis viris... seu et per consilium Emnehildae reginae convenit. Dipl. Reg. 28, a. 664, p. 27, 36. — Et *ad* nostro praecepto concessisse vel confirmasse cognoscite. Ib. 86, a. 716, p. 77, 3. — *Ad* peticione inlustri viro Raganfredo. Ib. 87, a. 717, p. 77, 37. — Et quia *ad* peticionem meam habuit pietas vestra. Form. And. 7, p. 7, 9. — *Ad* meam petitionem vestra decrevit voluntas. Form. Tur. 7, p. 139, 9. — Necessitates ecclesiasticas *ad* petitiones sacerdotum nostro relevamus iuvamine. Form. Imp. 28, p. 306, 12.

c) Sed terra quid fecit? *Ad* onus Domini in ligno pendentis intremuit. Hilar. de Trin. 3, 10. — Ferri materies, cum in medio fornacis aestu conflatur, ignis instar ardescit, et in eius speciem vertitur *ad* calorem. Arn. de Deo, 2, 20. — *Ad* nostrum reboat concava Roma sophos. Sidon. carm. 8, p. 350. — *Ad* minimum fugiens discedet pallida tactum. Avit. poem. 2, 352. — Pauperis *ad* fletum nulla pietate movetur. Id. ib. 5, 281. — Frangitur *ad* fletum princeps victumque fatetur. Id. ib. 5, 332. — Utrum *ad* responsa motus fuerit aestimate. Id. ep. 23, p. 55, 30. — Cum *ad* hoc frangi non possit. Greg. Tur. HF. 2, 2. — Commotus *ad* eius praedicationem. Id. ib. 5, 38. — Subito *ad* ostii reserati sonum expergefacta. Id. GM. 5. — *Ad* eius oratione commoventur tonitrua. Id. VI. 6. — Vela... *ad* primum flammae flatum exusta sunt. Id. GC. 54. — *Ad* primos evigilandi stimulos infundi poteram, non tamen excitari. Fortun. carm. 3, 4, 1. — *Ad* citherae cantus traxit amore feras. Id. ib. 7, 1, 4.

Adde quod perviguerit in nostro gallico sermone haec verborum conformatio e temporali notione orta, et simillimo saepe modo adhibeatur praepositio *à* ad notandam inter duas res congruentiam: *A* icest mot s'est eslaissiez. Gormund, 386. — *A* icest mot si s'esbaldissent Franc. Rol. 1481. — *A* icest colp cil de France s'escrient. Ib. 3365. — Car *au* besoing puet li hom esprouver qui est amis. Amis, 2856. — *A* icest mot sont avancie. Renart, 3, 73. — Nicolete s'esveille *au* cri des oisiax. Aucassin, 18, 10. Ex quibus merito concludi iam posse videtur vim per se non mediocrem habuisse particulam *ad* ut e congruentiae notione transferretur ad designationem modi vel instrumenti quo fit aliquid.

II.

Nunc autem, ut collationi quam primum detur locus, ponendi sunt contra usus praepositionis *apud*, quam simillimo modo iam concurrentem supra vidimus, si locum indicare velis prope quem vel in quo res aliqua agitur.

a) Non est equidem dubium quin e sensu locali praepositio *apud* in latino aevi merovingici sermone sensui accesserit praepositionis *cum* et frequentissime coniunctionem duarum personarum vel rerum signaverit. Rem Diez in *Grammatica Linguarum Romanicarum* praemonstravit, et recentius apta disceptatione Paulus Geyer bonam in lucem posuit (1). Adsint nihilominus huius sensus specimina quaedam : De ipsa lite, quem *aput* mihi abuit. Form. And. 6, p. 7, 2. — Ut ipsi homo *aput* homines XII, mano sua XIII, in basileca domne illius in noctis tantis coniurare deberet. Ib. 10, p. 8, 10. — Ingressus est illi *aput* homines tantus ingenuos super altare sancti illius. Ib. 10, p. 8, 15. — Veniens homo nomen illi *aput* femina nomen illa ...ante venerabile vir illi abbate interpellaverunt hominem. Ib. 29, p. 13, 26. — Ille *apud* tres et alios tres, sua manu septima,..debeat coniurare. Form. Marc. 1, 38, p. 68, 3. — *Apud* duodecim homines suos consimiles. Form. SM. 30, p. 252, 39. — Riculfus *apud* gente Sarracenorum ad infidelitatem regni Francorum sibi sociavit. ChM. 559, a. 739, p. 377. — In familiaritatibus quas nobis contulit *apud* nobis potentiores. Capit. KC. a. 862, p. 478, 44. Cum verbis dicendi : Mando vobis de illa causa, quae *apud* vos locuti fuimus. Form. SM. 59, p. 261, 21. — Notum sit vobis de ipsas parabolas, quod *apud* vos locuti fuimus. Ib. 66, p. 263, 22. Signare etiam potest *apud* coniunctionem rerum, quotiens subauditur additionis localis notio : Et ipsum coniunctum *apud* ipsam casam Diablenticam. TBert. 263, 2. — Et liberto meo ipsum Barontane una *apud* Solia quem ei dedimus, ut ad te, heres meam, ipse Baronta aspicere debeat volo ac iubeo. ChM. 559, a. 739, p. 373. Adde quod eodem sensu particula in documentis merovingicis, praesertim si ad Occitanam regionem vertaris, non semel iam

---

(1) Cf. P. Geyer, *Beiträge zur Kenntnis des gallischen Lateins*, ap. *Archiv für lateinische Lexikographie und Grammatik*, herausg. von Ed. Wölfflin, 1885, fasc. I, p. 25-33.

contracta in *ab* reperiatur : Nec *ab* heredes eorum exinde qualibet calomnia aut repetitione ulla habere poenitus non debeant. Form. Marc. 1, 32, p. 63, 7.— Tradimus villam cui vocabulum est Berthomates *ab* omni integritate. HLang. 19, a. 810, p. 73. — Ipsa villa *ab* omni integritate. Ib. 22, a. 813, p. 77. — Quicquid data nostra presencia comparavimus, cedimus atque tradimus *ab* omni integritate et superposito suo. Ib. 25, a. 814, p. 84.

b) Inde sine dubio procedunt in veteri sermone gallico usus qui notionem comitandi signant vel coniunctionem cum aliquo factam et congrue respondent usui praepositionis nostrae recentioris *avec* (= *apud-hoc, ab-hoc* = *avoc*, Alexis, 11). Particula quidem, ut fas est, in prioribus documentis formam merovingicam et occitanam *ab* exhibet, in posterioribus autem, praecipue si ad Normanniae regiones accesseris, formam *od, o* : Et *ab* Ludher nul plaid nunquam prindrai. Serm. 842. — Li fel iudeus ias aproismed *ab* gran compannie dels iudeus. Passion, 33. — *Ab* me venras in paradis. Ib. 75. — Vint en la chambre *od* sa gentil muilier. Alexis, 11. — Tot son aveir qu'*od* sei en out portet. Ib. 19. — Jo l'sivrai *od* mil de mes fedeilz. Rol. 84. — Ensembl' *od* els. Ib. 175. — Ensembl' *ot* mei. Ib. 3286. — Sailli Fromondins *o* bien quarantes chevaliers. Garin, 4697. — Ensemble *o* lui. Villeh. 382. Cum verbis dicendi : *Ab* les femnes pres a parler. Passion, 65. — Ai *od* lui converset. Alexis, 69. Cum nominibus rerum, si subaudiatur adiunctio in loco : Quar il lo fel mesclen *ab* vin. Passion, 70. — Li ancien enfooient lur morz *od* lur richesses. Job, p. 468. — Andrenople et li Dimos *o* totes lor apartenances. Villeh. 423. — E *od* barnage e *od* richece passa la mer. Beneoit, DN. 38494.

Si autem ire porro pergas, mirum profecto videbitur particulam *à* gallicam interdum eandem comitandi notionem declaravisse, etsi rarius, ut in his : Li duze per funt les enguardes *a* vint mil chevaliers. Rol. 548. — *A* Carlemagne se vuldrat acorder. Ib. 2621. — S'in vont Urrake et Persewis *a* Melior. Parton. 6915. — Passa la mer *a* son seignor. Beneoit, DN. 38495. — Cil vint *a* tote s' ost. Villeh. 323. Praepositio quidem *ad* latina parum apta videtur huic personarum coniunctioni signandae. Tum etiam demonstrant instrumenta merovingica intercidisse eo sensu confusionem quandam inter *ab* (= *apud*) et *ad*, nam in exemplo supra iam citato : Nec *ab* heredes eorum exinde qualibet calomnia aut repetitione ulla

habere poenitus non debeant. Form. Marc. 1, 32, p. 63, 7, exhibet codex A2 variam lectionem : *ad heredes*. Quare suspicari licet *ad* vel *a* nunquam per se accessisse indicandae coniunctioni quae fit inter personas, et quotiens sive per *od*, *o*, sive per *à* denotetur hic sensus, id tribuendum esse iure praepositioni *apud*.

c) Huic immo comitandi notioni proxima videtur circumscriptio modi quaedam rustica et admodum rudis, cuius subobscura est origo cum lineamenta tantum detegere possis in aetatis merovingicae latinitate, sed quae late tamen postea praevaluit in romanica lingua : circumscriptionem dico ita concinnatam ut quidquid in re vel in persona praecipuum enitet, huic rei aut personae per particulam intercidentem adiungatur. Apud infimae latinitatis monumenta exempla huius structurae occurrunt rariora, in quibus inter duo nomina ponitur particula *ad* : Dono pradello uno *ad* carradas duas. ChM. add. 45, a. 723, p. 452. — Si quis unum vasum *ad* apis aut amplius foras tectum furaverit. LSal. 8, 9, 2. Sed licet exemplum posterius conferamus cum variis aliorum codicum lectionibus : Vasum *ab* apis. cod. 7 ; vasum *aput* abes. cod. 9 ; vasum *cum* apis. cod. 2; vas *cum* apibus. Lex Emend. Inde enim confirmatur sensus particulae, quae reapse, si ad latinitatem adtendas, ponitur pro *cum* (cod. 2 et Lex Emend.) ; inde etiam confirmatur septimo vel octavo saeculo confusionem non mediocrem praevaluisse inter particulas *ab* (= *apud*) et *ad*, quamvis prior ad relationem coniunctionis signandam multo magis idonea videatur.

Ex his vero quantulacumque sint vestigiis coicere oportet construendi rationem quae postea viguit in gallico nostro sermone. Adde quod etiam tum particula inter formas *a*, *ad* et *od*, *o* fluctuet ac quasi veteratam confusionem denotet : Espees *ad* or. Rol. 1798. — L'escut li fraint k'est *ad* or e *a* flurs. Ib. 1276. — Sele ki est gemmee *ad* or. Ib. 1544. — Un escu *a* lyon. Amis, 1658. — Belissant *au* vis cler. Ib. 3288. Sed concurrunt eodem sensu : Melior *od* le douc ris. Parton. 6916. — Nicolete *o* le cler vis. Aucassin, 19, 1. — S'amie *o* le cler vis. Ib. 1, 7.

III.

Nunc de ipsius modi circumscriptione disseram, quae quidem finiri potest adiunctio circumstantiae externae vel qualitatis cuiusdam intimae sub sensus plerumque non cadentis.

a) Si modus ita declaratur ut externa tantum condicio rei addatur, ex iis quae paulo supra dixi satis aperte liquet hanc adiunctionem fieri potuisse praesertim per praepositionem *apud*.

Neque tamen hic particulam *ad* sine momento fuisse dicam, cum idonea semper exstiterit cohaerentiae inter res notandae. Occurrunt iam apud Latinos et saepius in merovingici aevi scriptoribus constructiones quae certissima ratione rerum simul factarum vel eventuum congruentiam demonstrant. Licet etiam supra citatis addas nonnulla dicendi genera apud Romanos usitatiora velut *ad lumina, ad lucernam,* aut ea quae spectant ad musicen et sonum instrumentorum : *Ad* strepitum citharae cessantem ducere somnum. Hor. ep. 1, 2, 31. — Leucotheen *ad* lumina cernit. Ovid. met. 4, 219. — Spectaretur *ad* lucernas. Plin. 9, 35, 58. — Ascenditque Capitolium *ad* lumina. Suet. div. Iul. 37. — Lecto *ad* lucernam Platonis libro. Florus, 4, 2, 71. Nec prorsus video cur ex istis similibusque formulis non recta via transire possis ad has romanicas nostrae linguae structuras : *Ad* encensiers, *ad* ories chandelabres clerc revestut en albes et en chapes metent le cors enz el sarcou de marbre. Alexis, 117. — Li prophete ki d'amunt vendrunt *a* estrumenz. Rois, 1, 10, 5.

b) Ea est autem amplissima modi declaratio quae fit quotiens adiungatur rei non quasi externa circumstantia, sed condicio peculiaris et intima : nempe expressa hac conditione vere definitur rei modus ita ut praecipua qualitas emineat. Significaverunt hoc quidem Latini casu tantum ablativo, vel saepe addita *cum* praepositione, ut in his : Honeste, id est *cum* virtute vivere. Cic. de fin. 3, 8. — Ne *cum* dolore moriantur. Id. ib. 5, 11. — *Cum* clamore in forum curritur. Liv. 2, 23 (1).

Diiudicandum inprimis an huic relationi indicandae apta per se praepositio *apud* videatur. Quae profecto, ut supra diximus, in latinitate merovingica saepissime adiunctioni locali rei vel personae cuiusdam inservit. Eandem vero rarissime reperimus copulatam cum nomine rei quae sub sensus non cadit : *Apud* Domini deliberationem prursus sanccitum est. Greg. Tur. HF. 2, 5. — Cum aliud exinde fuisset *apud* divinum iuditium praefinitum. Id. ib. 2, 7.

---

(1) Cf. praeterea Madvig, *Gramm.*, § 258; Draeger, *Hist. Synt.*, t. I, p. 536.

Animadvertamus etiam oportet his locis minime significari modum quo fit res.

Nec me fugit hic fingendae hypothesi patere campum. Nempe notum est Gregorium Turonensem, ne ceteros dicam, sibimet ipsi pravae latinitatis conscium non semel usum esse praepositione *cum* pro *apud* et ignorantia vel confusione peccavisse cum agresti stilo bonum colorem superinduere voluerit. Proferam pauca tantum specimina : Dignitatem *cum* eodem habere. Greg. Tur. HF. 4, 28. — Gratiam *cum* populo. Id. ib. 7, 1. — Vitamque *cum* iudice obtenta. Id. GC. 99 (1). Si paulo latius eas, inde suspicari possis praepositiones eodem modo eademque stili infelicissima cura etsi diversa transpositas in formulis : *Precari cum fletu, dicere cum gaudio,* aliisque similibus quae frequentius occurrunt; quippe quae ad latinam rationem reductae subaudire darent in vulgari et cotidiano sermone locutiones : *Precari apud fletu, dicere apud gaudio,* postea in romanica nostra lingua sic expressas : *Prier a dolor, dire a grant joie,* etc. Sed hypothesi valde diffidam, cum in citatis formulis usum praepositionis *cum* usu latino satis explicari possit, cumque praeterea eam nulla codicum varia lectione corroborare possim exhibentium in similibus locis *apud* vel *ab* pro *cum.* Addam tantum locutiones vulgaris latinitatis a me fictas nonnullis exemplis forsan demonstrari romanicis, sicut : Li poples le sewid *od* chanz. Rois, p. 225. — Lor prioient *o* plaintes et *o* plors. Villeh. 377.

c) Restat ergo ut soli *ad* praepositioni maximas partes tribuamus quotiens de modi relatione agatur. Modus enim adeo subtilis est relatio, ut ad eam informandam non mirum videatur quod variae simul notiones concurrerint, inter quas :

1° Notio congruentiae, quam per praepositionem *ad* aperte signatam vidimus.

2° Notio conformitatis quae fit inter duas res adsimilatione, qua scilicet subauditur rei comparatio et figurate indicatur relatio ad exemplar quoddam. Interiacet enim discrimen, si spectes ad originem inter : *Facio ad voluntatem tuam,* et : *Rem habui ad furtum;* quippe in priori sententia denotatur adtributio quadantenus, in altera vero modus tantum quo res facta est. Quis autem neget leve

---

(1) De quo cf. P. Geyer, *loc. cit.*, p. 31; cf. praesertim *Gregorii Turonensis Opera,* edd. Arndt et Krusch, *Lexica et Grammatica,* p. 939.

hoc sensus discrimen aetate barbara forsan ita periisse ut in duobus formulis particulae *ad* vis simillima tribueretur?

3º Notio etiam finis non est quin aliqua ex parte cum eo sensu congruat, quae declaratur in huiscemodi locis : Crinibus dissolutis *ad* hilarem lasciviam. Apul. met. 2, 17. — Ut *ad* iniuriam alterius alterum magnificentiorem existimes. Arn. de Deo, 1, 9. — *Ad* indubitatam fidem veritas ipsa testificabitur. Cl. Mam. de statu, 2, 13.— Ne *ad* vindictam inimicorum multas lueret poenas. Greg. Tur. HF. 5, 18. — Cuius caput truncatum *ad* vindictam adversariorum urbi delatum est. Id. ib. 8, 30.

Tenuissima haec sensuum discrimina, quibus vel in infima latinitate signandis plus minus inservit *ad* particula, arbitror in concinnandam ipsius modi relationem quasi conspirasse. Eo fuit, me iudice, commutata syntaxeos ratio, ut quod praepositio *ad* in congruentiae vel conformitatis vel finis relationibus signaret de re extera plus minus ad alteram accommodata, id nunc referretur ad condicionem aut qualitatem in re intrinsecus positam, eandemque certissimo modo definientem. Cuius rei specimen iam rustice figuratum occurrere videtur in paucis Chartarum vel Formularum locis : Si quis bovem aut cavallum vel quelibet animal *ad* furtum perdedirit. LSal. 2, 36, 1 (*per furtum*, cod. 1 ; *in furtum*, codd. 3, 5, 6). — Interpellabat aliquo homine... quasi iumento suo *ad* furtis condicionis abuissit. Form. And. 11, p. 8, 24. — Vel reliquas res quam plures... *ad* furtis causis deportassent. Ib. 32, p. 15, 1.

Idcirco in exemplis insequentibus quae cum e veteris gallicae linguae monumentis deprompta sint, omnia vel rerum congruentiam vel modum agendi quendam declarant per particulam *a*, *ad*, malim hanc e praepositione latina *ad* ortam haberi : Furet morte *a* grant honestet. Eulalie, 18. — *A* grand honor el l'enportet. Passion, 86. — *A* halte vois prist li pedre a crider. Alexis, 79.—*Ad* une voiz crident la gent menude. Ib. 107. — L'olifant sunet *a* dulur e *a* peine. Rol. 1787. — La murrez vus *a* hunte e *a* viltet. Ib. 437. — *A* grant joie les noces firent. Renart, 1, 2889. — Fu receuz *a* mult grant joie et *a* mult grant honor. Villeh. 111. — S'aresterent *a* grant dote. Id. 339. — *A* grant travail et *a* grant martire le departirent. Id. 89. — S' en issent *a* desroi. Id. 355.

IV.

Quod si inde ad instrumenti significationem venias, scilicet ad usum in vulgari sine dubio sermone praevalentem, hic quoque inprimis inquirendum erit ex praepositionibus *ad* et *apud* utra vim potissimum habeat ad hanc significationem declarandam et cum particula *per* eodem iamdudum sensu adhibita (1) praesertim concurrere valuerit.

a) Ex praedictis sequitur *ad* saepe notavisse congruentiam cum magno rei in alteram momento. Adde quod particulam non semel reperire sit eo sensu usurpatam apud infimae latinitatis scriptores, ut in his : Erant funditores qui *ad* fundas vel fustibalos lapides iaciebant. Veget. 2, 15. — *Ad* vectes pro similitudine gladiorum punctim caesimque feriendo. Id. 3, 4. — *Ad* latiores lanceas vel maiora spicula beluas occidebant. Id. 3, 24. — *Ad* maiores ballistas malleolos vel falaricas cum incendio destinant. Id. 4, 18. — *Ad* ignem liquefieri. Marcell. de medic. 15, f. 107. — Ipsius equitis *ad* unum gladii ictum caput desecuisset. Oros. hist. 5, 4, 6. — Lupos ostentare *ad* digitum cogor. Id. lib. apol. 1, 2.

Hic etiam concurrant necesse est loquendi genera quae designandis suppliciis adhibentur, etsi in plerisque vis quoque localis insit adiuncta movendi notione. Haec sensus vel apud Latinos usitatioris exempla tantum depromam e Merovingicis : Extenditur *ad* trocleas. Greg. Tur. HF. 6, 8. — Iussit eum *ad* trocleas extendi. Id. GM. 81. — Iubet sibi molam secretissime deferri *ad* quam tota quadragesima tantum laboravit. Fortun. VSRad. 16. — Si homo ingenuus in furtum inculpatur et *ad* eneo ei manum incenderit. LSal. 3, 68. — *Ad* igneo seu *ad* sortem excusare studeat. LRib. 31, 5. — Sed ipso ill. omine, qui ipsa terra proprisit, *ad* ipso iudicio vel *ad* ipsa cruce eum convincuit. Form. SB. 13, p. 233, 8. — Exorcismus *ad* caldaria sive *ad* aqua. Form. exorc. 9, p. 661. — *Ad* crucem examinentur. Capit. HL. a. 816, p. 269, 32.

Non ergo sine causa contendas particulam *ad* in sermone vulgari et cotidiano ad sensum praepositionis *per* transire potuisse.

b) Neque tamen infitias ibo praepositionis *apud* rationem hic maxime quoque habendam. Nempe si vel ad solam praepositionis

(1) De quo cf. Diez, *Gramm.*, p. 892.

vim localem adtenderis, non te fallet hanc eo sensu iam interdum apud Romanos verbis ita passivis adiungi ut factam ab aliquo rem prope declaret. Proponam haec exempla : Haec *apud* maiores nostros factitata. Cic. de off. 2, 24. — Tantopere *apud* nostros iustitia culta est. Id. ib. 1, 11. — *Apud* Germanos difficilius tolerabatur. Tac. ann. 4, 72. — *Apud* quosdam acerbiorin conviciis narrabatur. Id. Agric. 22.

Simillima ratione positam in documentis aevi merovingici praepositionem non semel invenias : Quicquid exinde cum eo de ipsa causa egeris gesserisve, ratum et definitum *apud* me esse cognoscas. Form. Marc. 2, 31, p. 95, 5. — Premium ex hoc *apud* Dominum (*a Domino,* cod. 2) in aeternam beatitudinem retribuere confidimus. Form. SL. 11, p. 274, 12. In quibusdam vero locis apertius significatur instrumentum quo fit aliquid, ut in his : Nec *apud* canis venationes non faciant. Capit. MD. a. 744, p. 29, 27. — Si quis, uxore accepta, invenit eam *apud* fratrem suum contaminatam. Capit. PP. a. 757, p. 38, 23. Adde pro ablativo Latinorum instrumenti positam in his particulam *cum*, quae plerumque apud scriptores aevi merovingici ad formam *apud, ab* vulgarem reduci posse videatur : *Cum* contis utraque ei latera feriunt. Greg. Tur. HF. 2, 37. — Quo *cum* vectibus... repulso. Id. ib. 2, 33.

c) Immo ad solvendam qua distringimur quaestionem, etsi aliquatenus obscurari ita videatur, non possum quin rationem habeam novae cuiusdam rei. Nam cuilibet scriptores Merovingicos et praesertim Gregorium Turonensem evolventi liquebit profecto eos usu bonam latinitatem excedente adhibere praepositionem *a, ab,* sive signare velint instrumentum quo fit aliquid, sive interdum condicionem ipsam qua finitur : Tunc illi *a* lapidibus... caesi et humo prostrati. Greg. Tur. HF. 3, 28. — Trementibus *ab* impetu arietum muris. Id. ib. 2, 7. — *A* quo clamore expergefacti. Id. ib. 3, 36. — *Ab* his te gladiis transfodere voluemus. Id. ib. 8, 29. — Perunctum *ab* hoc liquore frontem. Id. VM. 2, 32. — Ne pereamur *a* fame. Id. GM. 9.—*A* febre quartana per annum integrum laborans. Id. ib. 30. — *Ab* eorum intercessione plenius ad veniam debeant pervenire. Form. Marc. add. 1, p. 111, 2. Non est equidem facile discernere apte quae sit haec particula. Nec aberrabit is profecto qui eam quodam modo duxerit praepositionem latinam *a, ab* usus explicatione praevalentem, utpote quae non iam personas signet sed et

rerum nominibus accommodetur. Attamen suspicari licet confusionem hic quoque intercidere, nec procul absum quin arbitrer hac praepositione figurari aliquatenus particulam vulgarem *ab* (=*apud*), cum haec stili conformatio adeo frequenter occurrat. Nam ita Gregorius ceterique intellegendum omnibus sermonem exhibuerunt, et consuetudini vulgari indulgebant salva, ut putabant, latinitatis fide.

Nec silentio praeteream, quod quidem e variis codicum lectionibus patet, non semel in merovingicis monumentis particulam *ad* pro *a*, *ab* latina, forsan pro *ab* (= *apud*) vulgari positam reperiri post passiva verba, ut in his : *Ad* nullo adpraehendi formidas. Greg. Tur. HF. 2, 34, B2 (*ad* deest A1 ; *a nullo* cet. codd.). — Non ei *ad* Deo concessum est. Id. ib. 3, 9, B1. 2 (*a Deo* cet. codd.). — *Ad* daemoniis correpti. Id. ib. 6, 6, B1. 5 (*a daemoniis* cet. codd.). — *Ad* Guntchramno rege repulsi sunt. Id. ib. 9, 16, B2 (*a Guntchramno* cet. codd.). — *Ad* Chilperico missus, Toronus advenit. Id. ib. 5, 4 (*ab* A1. B1. C1). — Ibidim *ad* domino suo inventus fuerit. LSal. 2, 38, 2 (*a domino suo* codd. 3, 5, 6, 10; *domino suo* codd. 4, 7, 8). Iunge quoque, etsi variam lectionem exhibere mihi non sit in promptu : Dum et provintias iustas *ad* agentes Serracenorum dissolatas et distructas sunt. ChM. 559, a. 739, p. 378. — *Ad* omnem demonio mirideano sibi noctornom ... in nolo contangere neque faticare. RLR. t. V, p. 103.

d) Quod si inde ad veteres linguae gallicae textus transieris et praepositionis instrumentum signantis evolveris exempla, fatendum erit saepius formas *a*, *ad* occurrere : *Ad* une spede li roveret tolir lo chieef. Eulalie, 22. — *A* foc *a* flamma vai ardant et *a* gladies persecutan. SLéger , 23. — *Ad* ambes mains derompt sa blanche barbe. Alexis, 78. — *A* dous puins prist le gunfanun. Gormund, 280. — Bien le batirent *a* fuz e *a* bastuns. Rol. 1825. — *A* l'une main si ad sun piz batut. Ib. 2368. — Je les ocis *a* mon acerin brant. Amis, 3156. — *A* sa main close aloit son pis batant. Aliscans, 706. — Mer pasera *a* nef et *a* calant. Huon de B. 5718. — Il ot *as* denz mangiez les laz. Renart, 1, 886. Rarius vero formam *ab* vel *od* invenias : *Ab* un inspieth lo decollat. SLéger, 38. — *Od* ses caables les turs en abatiet. Rol. 98. — *Od* voz caables avez fruisiet ses murs. Ib. 237.

Nec tamen inde adfirmandum videtur *a* in praecedentibus locis

non valere *apud* interdum. Suspicor autem antiquissimam in Gallia inter duas particulas ita confusionem intercessisse ut alteri utraque mutua sensuum vicissitudine non mediocre officium praestiterit.

Ergo, in summa, de abstrusiore si ad originem adtendas usu ita ferme concludam :

1° Etsi vel e sola congruentiae notione, quam adeo perspicue signat apud Latinos *ad*, possis ducere varios modi et instrumenti sensus, quibus particula *à* in nostro sermone inservit, malim tamen praepositionem *apud* una simul in sensum coaluisse.

2° Cum duae particulae gallicae *a, ad* et *od, o* sensibus iisdem non semel accommodentur, confusione quadam prioribus saeculis permisceri potuerunt : ea quidem confusio, quamvis adversetur sonus litterarum, variis codicum merovingicorum lectionibus interdum demonstratur.

3° Repugnare tamen videtur praepositio *apud* si eam adiungere velis rerum notionibus quae non cadunt sub sensum : eadem contra non mediocri praevaluit momento, quotiens rei aut personae adiunctio localis notetur, quotiens etiam ablativus Latinorum instrumenti sit supplendus.

4° Coicias forsan licet septimo vel octavo saeculo exstitisse in vulgari Galliae latinitate particulam *a* quandam, ante vocales litteras *ad* promiscue vel *ab* factam, quae pro Latinorum ablativo obsolescente in dies praesertim ad instrumenti declarationem cum particula *per* concurrit.

TABVLA IN SYNOPSIN REDACTA VSVVM PRAEPOSITIONIS *AD*.

AD proximitatem signat :

(ire *ad*) — (adpropinquare *ad*) — (stare *ad*)

I. per Accessionem :

Ire *ad* urbem. — Redire *ad* vitam

inde :

1° Adtributio

a) localis :
- Ligare *ad* arborem
- Recipere *ad* domum
- Adesse *ad* festum
- Consentire *ad* rem

b) cum verbis dandi et dicendi :
- Dare *ad* aliquem
- Dicere *ad* aliquem
- Petere *ad* aliquem

c) cum verbis intransitivis :
- Pertinere *ad* aliquem
- Prodesse *ad* aliquem
- Restare *ad* aliquem
- Videri *ad* aliquem
- Possideri *ad* aliquem
- Mansio *ad* aliquem

2° Finis :

a) Cantare *ad* delicias
Laborare *ad* aliquem
Habere *ad* utilitatem
Habere *ad* uxorem

b) Adgredi *ad* rapinam faciendam
Venire *ad* respondendum

c) Dare aliquid *ad* custodiendum (= custodire)
Incohare *ad* faciendum (= facere)

3° Conformitas :

a) per comparationem :
Aequalitas unius *ad* unum

b) Ad = respectu :
Ad iugum absolvi

c) Ad = secundum :
Ad voluntatem facere

II. per Positionem

1° in Loco :

Stare *ad* portam (=prope)
Esse *ad* palatium (=in)

2° in Tempore :

Ad vitam possidere
Ad Pascha baptizari

inde Congruentia :

Ad rem stupere
Ad fletum moveri
Ad lucernam ire

Apud (=cum) concurrit : *Apud* aliquem coniurare
Vasum *ad, ab* (=*apud*) apes

1° Modus :

Ad furtum habere
? *Ad* honestatem mori

2° Instrumentum :

Ad lanceam ferire
Apud canes venari
Ad, *ab* (=*apud*) aliquem adprehendi

CONCLVSIO

Ex iis quae proposui exemplis propositaque prout potui ordine digessi brevissime concludere velim et ex usu Latinorum ad infimam ita aevi Merovingici latinitatem adtendere ut finiatur quos praepositio *ad* sensus servaverit aut amiserit; quos eadem quaestus plurimos fecerit. Sic enim quasi aequa lance quaestio librari possit, dabiturque leges et condiciones capere quibus immutata sit syntaxeos ratio.

Si ad vim praepositionis *ad* localem spectes, quae profecto genuina fuit et propria, eam apud aevi Merovingici scriptores signare dicam ut apud Romanos translationem ad locum vel ad novum quendam statum, scilicet propinquitatem quae fit per accessionem; signare etiam propinquitatem, quae ex initiali positione provenit, exclusa movendi notione. Cum autem finalis ita dici possit terminus, ut praeter directionem in se movendi quoque causam contineat, praepositio apud Merovingicos, eadem ratione qua Latini usi sunt, finem hunc destinatum indicat insequente praesertim gerundio : adde quod post subtantivum nomen concurrente gerundio aut alio subtantivo genetivi prope obiectivi vices ut olim teneat. Si vero ad temporales sensus, qui excluso motu declarantur, inde transeas, notandum inprimis arbitror utpote late vigens celeberrimum hoc dicendi genus ad designationem consequentiae vel coniunctorum eventuum, rebus inter se vel ita cohaerentibus ut in alteram prior magnum momentum habeat.

De sensuum iacturis aliquid suspicari licet, si minus ad scriptores adtenderis qui bonae latinitatis florem quamvis interdum inepte retinere conati sunt, quam ad auctores rusticitatis reos et deteriora aevi instrumenta. Amisisse quidem videtur praepositio sensuum discrimina quibus elegantissime et indefinito modo notabatur apud Latinos numeri vel temporis coniectura. Nec eandem adservavisse dixerim nisi notionibus novis accedentibus has modi significationes quae olim comparationi accommodatae sunt et locutionum *secundum, quod adtinet ad* vim ac sensum repraesentaverunt. Quare paulo

fusius explicandum nobis erit quod ad particulae quaestus spectat, cum his pensentur damna et suppleantur casus Latinorum obsolescentes, cum ita praesertim legitima usuum prorogatione detur ad Gallicam nostram syntaxin transire..

Si duos praepositionis sensus praecipuos animadverteris, quibus translatio ad aliquid vel statio signatur in loco et in tempore, non te profecto fugiet inde quasi e bivio divertere duplicem novorum usuum seriem.

Etenim ex priore sensu translationis eo tendit particula ut per adtributionis et finis relationes obliteratum suppleat quoquo modo dativum casum. Quod exemplis sane liquet supra allatis, nec erit tamen inutile unum sub adspectum hic subicere varias relationes in quibus praepositionem iam saepissime poni possumus dicere aevo Merovingico:

1º Pro dativo accessionis post verba quibus indicatur e loco ad alium vel e statu ad alium statum transitus;

2º Pro dativo traditionis cum verbis rem signantibus quae ad alteram personam refertur, sive sint haec verba dandi et tradendi, sive dicendi et orandi;

3º Pro dativo adtributionis, post verba *esse, adesse, prodesse, videri, restare, possideri,* multaque alia intransitiva;

4º Pro dativo qui dicitur commodi et incommodi, scilicet quo persona significatur in cuius gratiam vel utilitatem fit res aliqua;

5º Pro dativo denique finali, scilicet finem signante cui aliquid deputatur.

Illud fuit revera apud infimam latinitatem maximum et gravissimum praepositionis *ad* incrementum. Neque tamen inutilis eadem videtur si e notione standi in loco vel in tempore, scilicet e congruentia inter duas res ibidem positas aut simul factas transire velis ad adiunctionem condicionis externae et ad declarationem instrumenti quo fit aliquid. Ad hos informandos usus, qui latini ablativi vices plus minus teneant, conspiravit profecto vicina sensu locali praepositio *apud,* sed ea lege ut primas tamen partes *ad* gerere videatur, et postea in Gallico nostro sermone *à* fere semper adhibeatur.

Immo his quaestibus adde structuras maximi momenti quasdam, aevo Merovingico late praevalentes, quibus *ad* redundat finali sensu et ponitur post verba habendi et dandi, post verba initium rei

signantia, cum gerundio iam infinitivum valente. Tunc fatendum erit subtiliores sensuum incertorum distinctiones ingruente barbaria periisse, sed his damnis adeo non imminutam esse praepositionis provinciam ut fieret contra ad copulanda novi sermonis membra vinculum quoddam necessarium.

Quare, si contrahendae etiam huius conclusionis positiones videantur, si vim ipsius particulae increscentis et praecipuam quasi internae evolutionis legem velis deprehendere, censeam in infima latinitate *ad* sensum primum ac genuinum non amisisse quidem, quo signatur motus et accessio ad locum quendam vel propositum finem. Sed ex illa vi genuina praepositionem ad usum adiunctionis magis propinquae et definitae quis notabili rerum immutatione neget adductam? Magis ac magis fit copula duos relationis terminos ita iungens ut non intervallo magno aut indefinite prorogato iam separari videantur, sed inter se contra artius cohaerere, et ipso facto religari. Notatur haec adiunctio per adtributionem proximam signata post verba relatione, signata etiam intra substantiva duo possessione; notatur cum pendeat ex cohaerentia duarum rerum et internae condicionis relationi accommodetur aut agentis instrumenti designationi.

Inde fit ut ad supplendas casuum Latinorum dativi et ablativi, etiam genetivi interdum vices idonea praepositio *ad* videatur; inde fit ut iacturas sensuum et constructionum quodam modo pensare valuerit : sic detegitur ratio novae cuiusdam syntaxeos. Illorum enim usuum germina in sinu aureae latinitatis velut in uberrimo seminario inclusa latent; in infima quidem et Merovingica, ut vidimus, latinitate seges adolevit et iam eruptura prodit : non vero nisi in Gallico nostro sermone, ut ceteras taceam Romanicas linguas, efflorescet demum et explicabitur.

VIDI AC PERLEGI,
Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,
pridie Idus Febr. ann. MDCCCLXXXVI.
Facultatis Litterarum
in Academia Parisiensi Decanus,
A. HIMLY.

Typis mandetur.
Academiae Parisiensis Rector,
GRÉARD.

INDEX CAPITVM ANALYTICVS

PARS PRIOR.

Proximitas per accessionem notatur.

CAPVT I.

CAPVT II.

CAPVT III.

CAPVT IV.

PARS POSTERIOR.

Proximitas per positionem notatur.

CAPVT I.

CAPVT II.

10,038. — Bordeaux, Vᵉ Cadoret, impr., rue Montméjan, 17.

